METAMORPHOSEON

QUÆ

In S. Scriptura extant,

Libri VI.

Per P. Panterum, ad fanum Andreæ quondam Theologiæ professorem, nunc Holgatensis Ecclesiæ in Salopibus rectorem.



LONDINI,

Typis *R. I.* pro *Tho: Vere* ad insigne Angeli in vico vulgò vocato Old-Bayly, MDCLI.



Virtutum, generisq; splendore illustri domino
Do. Humfredo Briggsio equiti, &c.

S.

Fœtus hic noster (sub montibus vestris natus) ad te suspirat, & sub umbra patrocinij tui prodire audet, infirmior quidem justo, & alterâ parte mutilus (abortum fecit nostra properatio, dum tibi qualicunq; pignore animum testari gratum ardeo) Tu igitur, velut alterum Semeles partum gremio susceptum fove, & vitâ (si fieri possit) dona. Quod ut vix spero, ita tam vestrâ, quam meâ causâ, opto. Holgato in valle Corinnâ (anno effectæ salutis humanæ CIƆVICL Idibus Octob.) Valere, te jubet


Tuus
P. Pamerus

Briggsi magnanimos inter memorande Salopas,
Accipe, quæ laudi qualiacunq; fero;
Haud equidem meritis aut vestræ congrua famæ:
Sed quæ fert nostri copia parva penus.
Quæ si pro votis, animoq; ferentis adesset,
Omnia quæq; hominum, sint tibi, quæq; Deûm.

Ad Lectorem.

QUisquis es, ob titulum, dignans hunc forte libellum
Lumine, ne (si spe sit minor) abjicias;
Æmula Nasonis non sunt: habet hæc satis ætas
Mirari antiquos, prætereáq; nihil,
Contenta hoc solo, conatibus obloqui honestis,
Ne, quæso, fraudi sit mihi velle meum;
Ingenia, hoc ausum, forsan, meliora ciebit
Quorum non adeò hæc secula egena putem;
Tanta in plebeiis audacia, quæ sibi nil non
Humani credunt, atq; subesse sacri:
Nos ad utrumq; genus quamvis sors, jura vocarint
Tractandum, sutor nec superem crepidam,
Tanta tamen sacri fuerat reverentia fani,
Longè adito, statui ludere vestibulo,
Littora sectari, mysteria nec qua profunda
Tentare, & sibi quæ Nereos antra premunt.
Tutius in levibus studium consumere nugis
Credens, & conchis nectere serta mihi
Obvia, collectis quam cum discrimine gemmis,
Versat quas Ganges, vel maris unda rubri;
Quumq; in divinis doctor bonus esse, periclum
Sit, volui potius esse poeta malus.

META-



METAMORPHOSEON;

LIBER: I.

Præfatio.



Utati generis, formæq; ostenta prioris
Exutæ canimus, translataq; corpora monstris;
Quæ, non vana fides, aut mendax fama, nec ævi
Fabula confinxit, vatumve licentia adauxit:
(Non incerta fero) Tu, cujus forma perennis
Lege stat æternâ (nullo mutabilis ævo,
Non damnum, labemve trahens) Tu, pande canenti
Non duros aditus, dubiumq; in limine pectus
Confirma, & tantos mihi da superare labores;
Nam tua facta cano, quæ sola potentia VERBI,
Non Natura dedit: (nedum ars humana, vel herbæ
Pæoniæ, magici nihil hîc valuere susurri)
Sed tua vis immensa. Mea quâ suggere menti,
(Ut quondam rebus, cum formam cuiq; juberes
Esse novam) vires alias; & pectora finge,
Atq; nova; ut rebus lucem (non addere honorem
Posco) queam, ac justâ donem miracula famâ.
Da precor, O Genitor, si non nimis alta, meamq;
Posco supra sortem, superatq; audacia fatum.

CAP. I.

Prima rerum semina in Chao confusa (Mosæ coelum, & terra, Gen. 1. 1. dicta) in distinctas rerum species educuntur, ad ordinem dierum.

PRima subit mundi facies primævaq; forma,
Quondam incerta sui, squallens, obscuraq; nullum
Lumen habens operis, tantum molimen adumbrans:
Sed moles sine mole sua, sine corpore corpus,
Vix hærensq; sibi, nec lege aut limite constans.
Ac veluti primis matri quæ mensibus offa
Excidit (haud justos Lucinæ passa labores,
Supremamq; manum) non membra, cutemve, nec ora
Præfert prima viri, nedum discrimina formæ:
Sed cultu, specieq; carens, atq; horrida cunctis
Est ingrata sibi. Sic rerum semina prima,
Ante datas formas, discrimina factaq; rebus
Nulla palam fuerant; neq; enim vel terra, vel æther,
Aut pontus (quamvis fluidis propiora tenerent)
Ambo sed, & neutrum, tetroq; inconditæ vultu
Natura ambiguis latuit submersa figuris.
Hunc Deus informem rerum miseratus acervum,
Tristitiemq; operis (cui nec faciesve, decorve
Ullus erat, solæ stipabant cuncta tenebræ)
Ipse novam rebus faciem, statuitq; secundam
Cœpto adhibere manum, miseram discernere massam,
Et lumen, nomenq; operi dare, signaq; formæ,
Atq; rudi vivos umbræ superaddere vultus.
Opus primi diei. Continuò ætheriis flamen demisit ab oris,
Illam mundi animam, quæ se se corpore miscens
Informis massæ, sensim formamq; modumq;
Adderet, & varios hinc, inde extruderet artus,
Hoc, operi incumbens, totisq; amplexibus hærens,
Insinuat se se, lætáq; in viscera flammâ
Funditur, & [illegible] diffundit ubiq; calores.
Hinc primum [illegible] torpor discutitur undis,

Liquitur humor aquæ, rarescit flatibus äer.
Hoc etiam tetram lymphis dispescuit umbram,
Humentesq; sinus noctis, furvosq; colores,
Induxitq; diem, qualis cum primus Eöo
Emicat, & dubiæ, cedunt jam sidera luci.
Aut cum sidereâ lucet nocturnus ab æthrâ,
Diductâ vel nube polus, vel fulgor ab undis
Redditur, & tenui pellucet imagine lympha.
Talis prima dies, discrimine lucis, & umbræ,
Auctori placitura suo, dum cuncta nitorem
Concipere, & tetros stupet ipse albescere vultus.
Ergo sibi tantis gratans in limine cœptis, Opus 2 diei,
Porrhò tendit opus, majores addere nixus
Gestit, & auspiciis intendere vota secundis;
Duplicat & curas, & primam duplicat artem,
Incumbens magis, atq; magis; molimina tentat
Altera, & incepto juvat indulgere labori:
Dux veluti, primam cernens succedere pugnam
Ex animo, & votis, aciem producere gestit
Alteram, & ostensâ non sic desistere palmâ,
Aut veluti primos expertus navita ventos,
(Solvisset postquam trepidus) mox acer, in altum
Provehitur, ventis intendens vela secundis.
Sic pater ad primos undæ clarescere vultus
Cuncta videns, rebusq; velut decedere nubem,
Continuò subiit purgare, novumq; recoctæ
Induxisse decus, cœnoq; undantis abyssi
Fœcibus excretis illimem educere lympham,
Materiem puram, atq; humoris simplicis amnem.
Purius, hoc, vitro flumen, cunctoq; orichalco
Secrevit pater à reliquis, & sedibus aptum
Extulit ætheriis, cœloq; objecit, & astris.
Sive quod, hoc, superos voluit vallarier orbes
Ætheris ardorem contra (qui sidera lambit
Igne suo, Lunamq; solet terrere propinquam)
Seu Pater hæc oculis voluit specularia nostris
Inter Phœbæas objecta incedere flammas,
Exceptura prius, vitreæ quò frigore lymphæ

Tem-

Temperet, & lumen reddat tolerabile nobis.
Opus diei. 3 Altera lux haec est; quam nox; & tertia cura
Numinis excepit, terras subducere lymphis
Succiduis, nudasq; salo durare recepto.
Hoc in se, facto jussit subsidere terrae
Alveo, & innumeris se se insinuare latebris;
Hinc decrescit aqua, & tellus hinc prominet, atq; hinc
Exeruitq; caput tunc udos surgere montes
Cernere erat, pulsoq; jugis solidescere fluctu,
Saxaq; & innumeras subitò se ostendere glebas,
Conspicua seu terris vada sint. Mirata figuram
Unda suam (se nempe fretis hinc porrigi, & illinc,
Huc curvare sinum, vastis se fluctibus illuc
Fundere, & hinc fractos impingi rupibus aestus)
Ergo fremit, saevitq; minax, stat causa duelli
Inde trucis, sedes indignabunda priores
Dum repetit, certatq; sibi submittere terras.
Hic Genitor nudam cernens cultuq; carentem,
Atq; decore suo terram (quam fronte madentem
Limus adhuc, multaq; uligine texerat humor)
Squallentem, segnemq; situ, sine honore, vel usu,
Tantum nubiferos dorso exhalare vapores;
Hanc igitur terrae faciem miseratus ab alto
Omnipotens, nec ferre comam, nec habere nitorem,
Induxit varios, suffuso semine, cultus;
Hinc musco fontes, injusso gramine valles,
Frugibus arva virent (primâ quoq; messis ab herbâ est)
Arboribus montes, humili quoq; tesqua myrica
Vestit, & haud ullis desunt sua pigmina membris.
Omne latus tegitur, serpunt arbusta, rosaq;
Perq; cavas rupes, hederae, spinaq; sequaces.
Quis referat cunctum primae telluris honorem,
Picturamq; novam? quam nec variata Lacaenae
Palla, nec auratis aequet Cytheraea lacernis,
Non trabeae Salomonis opus, quamvis Tyrius omnis
Conferat, & totos phrygio superaddat honores.
Quicquid Flora, Ceres, Chloris, Pomonave possunt,
Undiq; congeritur. Quo demirata decorem

Ipsa suum (frontis paulùm gravitate remissa)
Dicitur hîc demum Tellus risisse nitore.
Nullus ab aetheriis illuxerat hactenus oris Opus 4 diei,
Phoebus, & astriferis deerant sua lumina sphaeris
Ergo pater rutilos venis coelestibus ignes
Extudit, & toto flammas protrusit Olympo.
Hic videas quasdam candore, & mole notandas,
Scintillas alias, nonnullas limite figi,
Esse vagas alias, nec certa sistere sede,
Ire, redire vias, discedere, nuncq; coire,
Inq; vicem varios incidere cursibus orbes.
Lentius has, citiusq; alias, suus omnibus aequus
Ast labor, & certo peragunt incepta tenore.
At quibus est fixus certo situs ordine, coelum
Pingere non una, videasq; coire figura;
Hinc draco contortis protenditur orbibus, illinc
Ora Leo pandit vasta, hinc in cornua surgit
Taurus, & aurato miles succingitur ense;
Inde bidens, hinc libra micant, hinc haedus, & illinc
Cancer, & innumera colludit imagine coelum,
Non ea Caesareus praebet spectacula circus,
Troja nec ludit sic, nec delphines in undis
Nunc mersi, nunc terga salo super uda ferentes.
Hos inter gemini Phoebaeae lampados ignes,
Mole alias, & luce palam, ac virtute prementes,
Imperium, & primas juris rapuere coronas.
Quorum, qui radiis, proprioq; superbit honore,
Regia sceptra tenet, lucis moderator, & umbrae,
Atq; rotans varium certis decursibus annum,
Autumni, verisq; vices aestusq; hyemisq;
Altera sed levior, tantumq; precaria regni
Jura tenens, vario mutat sub lumina vultu,
Et solâ de nocte nitet, non illa diei
Spicula, nec tantos par sit perferre nitores,
Pallida sed, dominiq; timens, & conscia juris
Abditur, & tacito perrepit nubila passu.
Jam constructa domus, nitidoq; instructa paratu, Opus 5 diei.
Et paries tecto junctus, laquearia perq;

Lucebant flammæ, nunc hospite visa carere,
Tantaq; qui teneat, domino; namq; omnia sola,
Vastaq; non latis errabant agmina campis,
Non silvis latuere feræ, non monstra profundo,
Squammigerumq; genus, nullæ Nereïdes, ales
Nullus erat, læto qui mulceat æthera cantu,
Nilq; per immensum, nisi summa silentia mundum.
Ulteriorem ergo rebus superaddere honorem,
Munus & extremum statuit Deus, omnia complens
Civibus, & vacuas celebrans læto hospite sedes.
Pro genio cujusq; loci genus omnibus aptat
Adspirans diam per rerum viscera flammam.
Primæ animantur aquæ, (namq; est genitabilis humor)
Innumeram fundunt fæcundo viscere prolem.
Exigua est queïsdam moles, (reptantq; natantq;)
Ast aliis major, prægrandi corpore matris
Terga premunt lassæ, & motu cava marmora miscent.
Hic Proteus, Phorciq; greges, & maxima cete
Volvuntur densis spumosa per æquora turmis.
Proximus huic aër (ut erat subroscidus) hausit
Prolificum semen, leviori corpore turbam
Ædens, quæ tenues alis diverberet auras.
Omnibus ingenium tamen haud æquale, voluptas
Quamq; nec una trahit; pars littora nota frequentat,
(Quippe cui fluviale genus) pars æthere gaudet
Liberiore frui, silvasq; & rura celebrat;
Pars insueta manu, curæ pars altera herili,
Tecta subit, nidosq; sibi sub culmine figit.
Ultima concepit tellus, quæ rore madescens
Ætherio, demum solvit quoq; viscera partu;
Hæc armenta, greges, variarum secla ferarum,
Protulit, & cives cunctis dispescuit oris;
Hinc barrus, taurusq; bison, cervusq; lupusq;
Et Leo (non ulli ex alio tunc noxa, metusve,
Prædandi non ulla fames, rabiesq; solutis
Omnibus in luxum læta ubertate locorum)
Caprigenumq; genus, sonipesq; & fronte, jubâq;
Conspicuus, quodcunq; feris in montibus errat;
Quodq; cavernosis latitat tellure sub antris.

CAP.

CAP. 2.
Hominis è terra creatio, & Fæminæ è costa Viri.

Solus desuerat rector, qui jure, metuq;
  Imperitans, tantam retinet in ordine turbam;
Ergo Pater curas fæcundum pectus in omnes
Dividit, & totam versat molimine mentem.
Quale genus faciat, queîs mentem dotibus ornet,
Quâ formâ corpus; superos hîc advocat omnes
Consilio, & totas affatus dicitur artes,
Eia, agite; est operis summum, captoq; coronis
Inducenda mihi, genii majoris, & artis
Fingendum est animal, habeat quod pondus, & instar
Omnium, & immensi quædam compendia mundi.
Magnæ mentis opus, tantiq; capacia regni
Pectora formanda, & nostræ nova mentis imago.
Sic ait, & totis incumbens viribus, alta
Semina suffundit limo, faculamq; subegit
Ætheriam, & varios fingendo protulit artus;
(Hospite digna suo dans tecta, tot usibus apta
Atq; ministeriis, animæ quæ multa facultas
Poscit) & innumeras diffudit pectore dotes.
Certabant formæ vires, roburq; venusto,
Accessit cui frontis honos, erectaq; celso
Ora modo, pariter quo gratia prænitet, atq;
Majestas, vultu imperium portendit et ipso.
Despicit & terris, oculos atq; inserit astris.
  Huic ita composito deerant solatia sola
Comparis, et juncti consortia casta cubilis.
Quâ sine, vir solus videatur, more ferarum
Degere, quin etiam mutilus, magnaq; carere
Parte sui, et mæstas orbus transmittere luces.
Ergo viri mæstam, nec ab omni parte beatam
Respiciens sortem Genitor, sociamq; paremq;
Consortemq; parat, vitæ solamen et omnis,
Quæq; addit. curasq; levet, partemq; laboris

Juncta ferat, rebus, neq; se subducat in arctis.
Quoq; magis juncto geminos uniret amore,
Esse viri partem voluit, desumier inde,
Materiem sociæ, propriamq; suamq; jugari.
Cui nèquod damnum, aut faceret decisa dolorem,
Perturbetve virum pars, alto mergere somno
Antè stat, et partem sensu decidere adempto.
Ergò lethæum demittit ab æthere Somnum
Qui caput, et molli respergens tempora rore,
Lumina composuit sensim, gravidosq; per herbam
Dejiciens artus, oblivia dulcia menti
Intulit, et gratis constrinxit pectora vinclis.

Somni descriptio.

(Somnus amica quies, & in interiora reducti
Pax animi, à curis longoq; labore receptus,
Defessos reparans artus, oblivia menti
Suaviaq; inducens rerum sortisq; malignæ,
O pax alta, Dei suavissima dona, sine uno
Quo neq; Musa valet, Cereris, neq; dona Lyæi,
Quicquid & immensum delectat, alitve per orbē.
Tu mihi Somne veni, quoties delatus in antra
Horrida Tristitiæ lachymor, vel in avia tesqua
Curarum abripior, mens & sine fine vagatur
Arripe, meq; mihi redde, atq; in mollia vestra
Prata abduc, umbrasq; leves, ubi spirat amomum,
Et violæ, spinâq; rosæ sine, amaracus & flos
Narcissiq; crociq; hyacinthi, nardi, amaranthi:
Turbæ ubi non ullæ, vix auræ; lene susurrans
Auditur Zephyrus, labuntur flumina puri
Nectaris, & miræ volitant per inane figuræ.)

Sic posito, lævam per summa silentia costam
Elicit, illæsis (integro corpore) membris,
Deducens, sed non mutilans, ullâve minutum
Parte sui linquens, aut quâ compage solutâ,
Nec cutis, aut lateris facto per talia hiatu.
Quam pater omnipotens solerti numine costam
Ceu ceram fingens, faciem, spirantiaq; ora
Inducit primùm, diffuso hinc corpore membra,
Proq; unâ, plures costas, proq; osse recurvo

Ossa facit varii generis, variaq; figuræ.
Queîs super-inductâ lævi cute, carne tenellâ
(Quæ color, et rarâ pingebat gratia formâ)
Erigit atq; animat teneræ spiramine vitæ.
Atq; ita marmoreæ, nullâ non arte columnæ
Tornatæ similis, flavas et vertice fundens
(Flammeoli de more) comas, diumq; renidens
Ducitur ad geminùm, jam sponsa futura, maritum.
Qui primo attonitus visu stupet, inscius acti,
Miraturq; novam speciem: generis tamen instar
Agnoscit, subitos et pectore concipit ignes,
Accipit et sociam, verbisq; ita fatur amicis;
Te mihi conjungit genus, et sors (quæ mihi soli
Nunc offert solam) sed vis est arctior intus,
Desponsatq; Deus, nobis, en, pronubus ipse.
Te quare accipio, nec quisquam dividet unquam;
Non genitor, non chara parens, sed (corpore mecum
Ceu coeas uno, atq; animâ spiremus eâdem)
Nulla dies nostrum, nec vis abrumpet amorem.
Hæc mihi connubii lex, hæc per secla futuris
Omnibus, ætheriæ dignatis munere tedæ.

CAP. 3.

Serpens fæminam, hæc virum (incauta) in fraudem, & malum illicit.

JAmq; suâ fruitur sociâ, cum conjuge gaudet
Vir novus, et nemoris læti spaciantur in umbrâ:
Sed non longa tenent ea gaudia; stantibus Orcus
Invidet, et tristem casum fælicibus ornat.
Quem meditans, cunctas Dirarum à sede sorores
Advocat, et qua vi, queîs possit fraudibus actos
Dejicere à tantâ mortales sorte requirit.
Omnibus idem animus (possint si forte) Tonantis
Legibus impactos, superûm excussisse favore.
Sola superfuerat via disquirenda, quibus se
Insinuet mediis, quâ formâ appareat author
Exitii, incautis vetiti suasurus amorem.

Hîc nova nupta magis visa est obnoxia fraudi,
Hanc certum petere, et per eam tentare maritum.
Sed quâ sub specie, cujusve animalis in ora
Conversus, penetret septi pomaria ruris
Quæstio distinuit, donec quæ prima sororum
Decutiens densos ferali vertice crines,
En, ait, en vestris non desunt organa cæptis.
Lubricus eligitur de tot modò millibus anguis,
Hunc init, & linguam præmunit fraude trisulcam.
Ille per angustos aditus & lævia lapsus
Gramina, non ulli visus, perrepit ad ora
Incautæ, multo variatus terga nitore.
Ac veluti gemmæ, fulvi ramenta vel auri
Sublustri de nocte micant, conclusave vitro
Lumina, sic picti radiat per gramina ruris,
Allicit & raro muliebria pectora visu.
Qui simul ut vidit conversam, ultròq; morari
Congressum, insueto nec deterrerier ore,
Convolvens se se, molli per gramina lusu
Blanditur dominæ, & vestigia lambere gestit;
Attamen offensam veritus, se continet, atq;
Attactu refugit, demumq; è guttere vocem
Exiguam mittens, simulata in verba salutat;
Ampla quidem læti colitis viridaria ruris,
Plena voluptatis: sed quid restrictio vult à
Fructibus arboreis, atq; horti principe pomo?
Numinis hoc minuit, quem sic prætendit amorem.
Dixerat; at mulier nil demirata loquentem,
Nec monstri, nec gnara doli (nam insueta, rudisq;
Naturæ rerum, & genii cujusq; animantis
Nec subiit mentem supra serpentis id esse
Ingenium, occultumq; aliquid movisse loquelam)
Rettulit; haud equidem tanta est restrictio, quantum
Quærendo carpis: nobis indulsit amæni
Arboreos fructus omnes Deus, uber & horti,
Quodq; unam (medio ramos quæ curvat in horto)
Rettinuit, recipitq; hominis non invidet istud
Ille bono, nostrum c[illegible] at horus inde periclum.

Sera quod incautis fortè experientia monstret,
Unde habet & nomen. Cui rursum lubricus instat;
Scilicet, haud ita stat fructus sibi causa recepti
(Non ea cura Dei) non vult mortalibus esse
Ingenium superis par, nec discrimina nosse
Aut recti, aut pravi, quo vos hæc imbuet arbor.
Dixerat & mulier figens sua lumina pomo.
Ac pensans speciem, non præ se damna ferentem,
Atq; scientiferi donum immortale saporis,
Principio dubitat, mox inclinata, dolosæ
Illecebræ cessit, digitisq; trementibus etsi
Decerptum admovit labris, & faucibus hausit,
Oblatumq; viro dedit, & jubet esse moratem.
Ergò reis pariter, scelus atq; ferentibus ægris
Pectoribus, primùm pudor inficit ora rubore,
Mox metus obrepens, trepidos compellit in umbram
(Quamvis prona dies, Solq; inclinatus, ad undas
Vergeret, & rabidum leniret serior æstum)
Conscia mens pravi tantum valet, atq; pudendi
Membrorum motus, gliscente libidine, quæ jam
Sponte fremit, fræno rectæ rationis adempto,
Ergo pensilibus præcingunt ilia Zonis,
Contextis foliis, & densâ fronde ficulnâ,
Expectantq; rei, quasi clausi carcere, vocem
Judicis, ad quosvis sonitus, auraſq; trementes.
Vix se se abdiderant, cum vox audita per umbram
Regis ad ora citat pavidos; qui inquirit in omnis
Authorem, & causam sceleris, gnarusq; colubrum
Esse, in eum primæ censuræ fulmina stringit.
Addicens terræ damnatum, & pectore prono
Ut graviter repat, silices atq; atterat alvo.
Arboreoq; dehinc pro fructu, & mollibus herbis
Lingat humum, & tristes sint illi alimonia glebæ.
Incipit hinc presso, qui pectore sueverat ante
Erecto prodire, & humum converrere caudâ,
Invisus generi humano, cui calce premetur
Insidians, tergoq; hærens, morsuq; retuso
Ausa luet, primæ recolenti damna parentis.

Hinc

Hinc mulier (facilem quia pravo adverterat aurem
Avertitq; Deo) partus ad tormina acuta
Damnatur, fœtus & multiplicantur inanes.
Quos Libitina premat, vel primo in limine vitæ
Abripiens, propero fusos vel perdat abortu,
(Informes, vixq; exanimes) ac tristibus omnes
Conceptos fatis carpat, mergatq; tenebris.
Omnia quod thalami contristat gaudia luctu,
Spemq; domus, sobolisq; afflat (ceu, sidere lævo
Cum pestis grassatur agris, & lethifer annus,)
Nec quid in humanis nisi vanum, & flebile linquit.
Inde viro (tantam illecebris quia præbuit aurem,
Esse tam levibus, mulieris ab ore, loquelis
Siverat abductum, superâ rationis ab arce
Dejici) ab omnigeno nunc excidis, inquit, honore
Atq; bonis (nostri tibi quæ potuere mereri
Obsequia) & justis mutantur præmia pœnis,
Ergo tibi infractum robur, languentis & ordo
Naturæ rapitur pessùm; te terra colentem
Respuet, atq; operam non compensabit iniqua,
Proq; olere, & pingui quâ nunc flavescit aristâ
Sponte suâ, tribulis, spinisq; horrebit acutis.
Unde tibi ingratus semper labor, improba vitæ
Tædia, & assiduæ, ceu crux sub pectore, curæ:
Donec humo reddant fessum (tibi gentis origo
Unde fuit) cineres & convertaris in atros.
Hoc tibi stat fati, quo discat homuncio, terræ
Filius, ætherii jussa haud spevisse parentis.
Ergo datos hortos, et prædia linquere jussus
Fortunatorum nemorum, sedesq; beatas,
Ac vertisse solum, peramœni finibus agri
Exigitur, fructus ne carpens arboris almæ
(Quæq; dabat vitam, vires reparando, perennem.)
Illudat superis, à fati lege remotus.
Quàq; patent aditus, flammantis lamina ferri
Erigitur, quà quà versùm quæ vulnera vibret,
Atq; necem, silvam jubeatq; cavere beatam
Nec pede sacratos horti temerare recessus.

(Lucus

(Lucus hic innumeros viguisse intactus in annos
Dicitur, et tristem mundi vidisse ruinam
Obrutus æthereo, cui soli cesserat, imbri,
Cùm Pater immensum mersisset fluctibus orbem)
At miser, & multo labefactus corda dolore
Exul homo, subitum languenti in corpore morbum
Percipit, & priscum sibi decessisse vigorem,
Tardior in motus, curisq; gravantibus æger
Substitit, incertus quònam vestigia flectat,
Consiliumq; subinde locum, vultumq; gradumq;
Mutantem, cuncti capiunt fastidia cœpti,
Tædet & ipsius lucis, mortemq; præoptat
Ignotam quamvis, & mæsti nomina fati.
Quem complexa tori consors, sed causa doloris,
Erigit, & dictis solari certat amicis:
Ne desponde animum sis, nec te, spemq; jacentem
Abjice, non culpæ tanta est injuria nostræ,
Nec tantum furit ira Dei; quæ mitior usq;
Inferiorq; minis, non sic ulciscitur hostes,
Nedum præcipites tantùm, incautosq; malorum.
Dixit, blanditias admiscens; ille nec aurem,
Aut animum avertit, certus tolerare laboris,
Et vitæ quod-cunq; gravis, quam parva voluptas
Leniat, atq; animet spes vix in morte relinquens.
Hæc hominis sors est, & quantulacunq; misello
Portio concessa à superis, per tempus id ævi
Mortalis, miseris operarum æquale diebus.
Sed sceleri quàm prompta manus, quam pectora recto
Aversa, in nato mox emicuere Caino
Fraterno diram qui infecit sanguine dextram,
Imbuit & magnam non fandâ cæde parentem;
Corrupti generis nimiùm manifesta relinquens
Indicia, & mentis rectoq; bonoq; alienæ.
Scilicet obductâ rationis lampade, tetra
Nube mali, (quam mens, sibi pravi conscia, & ægra
Usq; trahit, recti quoq; desperatio adauget)
Degener hinc animus soboli quoq; adhæsit, avitos
Dum recolit lapsus, & succumbentia pravo

Pectora sponte suâ, ac vestigia lubrica recti.
Hinc animus depressus humo, nec generis & ævi
Cura supra miseram ctiquam est assurgere sortem;
Inde voluptates quisq; affectatus inanes,
(Pronior huc) furit in Venerem, ventriq; gulæq;
Non tantum ad satiem (brutis quæ innata libido est)
Deditus; ast supra, ut sunt nausea, crapula testes.
Hinc stupra, incestus, (generis discrimina, sexus
Nulla nec ætatis, par est in quaq; libido)
Nulli casta domus, divina humanaq; jura
Calcantur pariter, nec Divis paretur ipsis,
Cuncta patent furtis (non sacra tuetur asylum)
Cæde madet tellus, inopum clamoribus urbes
Ruraq; cuncta sonant, non est immune tribunal
Jura, forumq; nocent, species tantummodo recti est.

CAP. 4.
Enochus transfertur ad superos.

JAm genus humanum latè sobolescere terris
Cœperat, atq; unà scelus increbescere mundo:
Unus at in turba, quem non contagio secli
Carpserat, aut vitiis abductum immerserat atris,
Enochus (fulvo sculpendum nomen in auro)
Degerat ætheream terreno in corpore vitam,
Septimus à primo generis demissus Adamo.
Hic ubi Nestoreos in corpore vicerat annos
Integer, & nullo maculatus crimine, demùm
Translatus superas, ut mente, ita corpore, in oras,
Rettulit ætheræ cœlestia præmia vitæ,
Primigeno decreta patri, si forte Tonantis
Morigerus jussis superûm meruisset honorem:
Nunc magnus tenet illa nepos, monstratq; futuris
Jura sua, & positam in medio prostare coronam.
Illum, ubi sat superis se se, sanctumq; probavit
Obsequium, summo Pater ipse vocavit Olympo
Ad palmam, & superas jubet ad se scandere sedes.
Nec mora, continuò, levibus talaria plantis

Atq;

Atq; humeris alæ ceu nexa forent, rapit altum
Spiritus, & tenues mutatum evexit in auras;
Unde procul terras pedibus, nubesq; subactas
Despicit, & purum circa stupet ætheris orbem,
Miratur lucem, nec scintillantia porrò
Sidera, & insuetam, quâ circumfunditur, æthram.
Nec minus ætherio miratur membra nitore
Collucere sibi, atq; umbram non spargere opacam;
Quin, & terrenis animum cum corpore curis
Subductum penitus, obliviaq; alta subire:
Nam rapiunt tanto cælestia gaudia visu,
Aspectuq; Dei, quo jam propiorq; palamq,
Perfruitur, nulla remoranti lumina nube;
Inq; choro superûm medius subsellia scandit
Alta, virûm primus, vacuumq; capessit honorem.
Divus ubi, ambrosiæ succos, nectarq; perenne
Haurit, & æternùm perfundunt gaudia pectus.

CAP. 5.

Terra diluvio obruitur, Noacho solo, cum familiâ, recepto.

HOc recti exemplo paulum repressa mali vis,
Hæserat, & præceps vitiorum substitit ardor,
Inq; vicem placuit pietas: sed lentus & æger
Est virtutis amor, vitioq; recurritur ultrò;
Quod facile invaluit rursus, roburq; recepit
Indomitum, ad veros redierunt secula mores,
Hoc rerum est fatum, vitiumve (ab origine queîs nil
Est veri, aut solidi, vanis) virtute creantis
Perstantum solâ: quæ (si deserta relinquat
Vel minimùm) labemq; trahunt, certamq; ruinam.
Hice hominum mores; modico nos scilicet omnes
Tempore deficimus, res in pejoraq; vergunt;
Haud secus ac pronus moto sufflamine currus
In præceps rapitur, tener &, nutricis, alumnus
Suspensâ, abstractâve manu, nutatq; caditq;
Continuò: in vitium sic genus humana repente

Proruit, & facinus, sibimet permissa regenti.
Prima per infirmum genus est grassata libido
(Hæc scelerum fons est) quâ connubialia jura
(Sancta prius, propterq; Deum veneranda parentem)
Conculcata palam, per ruptaq; fœdera, justis
Conjugibus spretis, licito vis facta cubili est.
Adscitæ primùm plures sunt, sicq; jugalis
Laxatus torus est (hunc morem sextus ab Adam
Intulit, ille exlex hominum, temptorq; Deorum
Lamechus, diri proles vesana Caini,)
Inde via est mœchis facta, ac, jam limite moto,
Transgredi, &, ad lubitum, quod vis violare cubile.
Cui demum accedens vis juncta libidine, cunctum
Excessere modum, raptus hinc, stupra, nefasq;
Quæq; nec in pecudes caderet vesania brutas.
Gigantum origo, Gen. 6. 2. *Hic proceres summi (divûm genus, atq; propago)*
Audere in vulgus, natasq; abducere plebis,
(Siqua foret formâ melior) frænosq; libido
Dum laxat, toto se profudere furore.
Edidit immanes terris Venus ista Gigantes,
Vastum, truxq; genus, cujus præ mole, cicadas
Vix genus æquabat vulgi, visi sibi rupes
Sufficere (excelsæ tanta est elatio frontis
Omnia consternans visu, solvensq; timore)
Hi, terrorq; hominum, contemptoresq; deorum,
Cuncta gerunt lubitu, & rerum potiuntur ubiq;
Nilq; nisi vis est, & dira licentia terris.
Quem Pater omnipotens humanæ gentis, & orbis
Defectum cernens, scelus inq; valescere terris,
Concipiens justas irarum pectore flammas
Perdere constituit cunctos, animaliaq; ipsa,
Brutaq; consilii quamvis, nec conscia culpæ.
Sive quod humanis servirent usibus illa
Atq; libidinibus; seu detestatio rerum
Tanta fuit superis, ut cætera (labe quod essent
Incestata mali, quam vel vicinia visu
Contactuve trahit) simili velit hausta ruinâ
Purgari, & scelus exitio commune piari.

Hæret at ambiguus, labem per cuncta sedentem
Quêis purget pœnis, vitiatumq; expiet orbem,
Anne manum flammis armans, in, cuncta, favillam
Ac cineres redigat; missâ vel an eluat undâ
Infectas sedes, cultuq; ac civibus orbet.
Quæ demùm superæ placuit sententia menti
Atq; incestatum misso lustrarier orbem
Diluvio, quin & purgari à fæcibus auras
Quatenus accedunt terris, & montibus æther
Incubat, immissos jugi vult excedere fluctus
Haud modico spacio, quin denos scilicet ultra,
Aera per vacuum, cubitos, trans nubilaq; ipsa,
Æther ut exstingui metuat. Fugere has tamen undas
Et commune malum, mersiq; incommoda secli
Vult cum prole virum, quem sancti, juris, & æqui
Servantem in tanto vitiorum examine vidit.
Hûic dedit esse novæ gentis, secliq; parentem
Unde foret vacuis scribenda colonia terris.
Hûic, sibi ter geminâ cum prole & conjugibus tot
Provideat, mandatq; factâq; ingente carinâ.
(Quæ capiat volucrum tot, cunctarumq; animantum
Quæ sint servando generi satis, atq; propagent
Secla nova, & totum replerent civibus orbem)
Fluctibus eripiat se se, cladiq; futuræ.
Ergo omnes operi famulos, natosq; operasq;
Contrabit, & trabibus sylvas scrutatur acervis.
Ingentemq; struem, summis vel montibus æquam
Congerit, & cunctis, operi incubuere, paratis.
Quod per centenos (tantæ nam molis & artis)
Continuant annos, tignorumq; ordine terno
Compactam, tabulis & postibus undiq; firmis,
Producunt cubitos centum ter ad usq; carinam,
Ad quinquagenos diducitur (hæc trabibus stat
Mensura) educunt ter denos tecta sub auras,
Undiq; declivum culmen (defendat ut imbres
Fulmineos) rimas laterumq; bitumine firmant.
Ingentemq; forem, superâq; in parte fenestram,
Pandunt; dividiturq; locis tabulatio quæq;.

 Pro

Pro numero generum ; nidos habuere volucres
Per cænacla domus ; medio genus omne ferarum,
Quadrupedumq; pecus stabulat ; voluuntur in imo
Pisces, et quicquid fluviali pascitur undâ.
Totaq; non ullam cariem sensura per ævum
Fabrica, perpetuâ confecta est undiq; cedro.
Quam simul ad summas perduxerat ordine pinnas,
Et finem spectabat opus, (mirabile dictu)
Confluitant volucrum paria, et genus omne animan- (tum.
Ac veluti stabulis cogit cum bruma per agros
Armenta, aut pavidæ volitant ad tecta columbæ ;
Haud secus implendam factus concursus ad arcam
Vndiq; et ad sedes recipit se quodq; paratas.
Quæ pater omnipotens foribus conclusit, et apto
Objice, continuòq; immensos æthere ab omni
Effudit nimbos, cælumq; resolvit in imbres.
Fontibus elicuitq; lacus, tumidoq; profundo
Littoribus ruptis totas immisit habenas.
Unde cavæ primùm valles, mox et juga summa
Mersa salo, totumq; genus periere animantum,
Et volucrum, quicquid cæli spirabile lumen
Haurit humi degens, vehiturve per aera pennis.
Tunc qui dicta pii senis, et sprevere monentem,
Haud vanas sensere minas, ac numinis iram,
Quàmq; velint duro tunc demeruisse labore ?
Sera sed hæc, nec grata Deo submissio, nullam
Accepit veniam, nec cæli vota merantur,
Obruit ingratas æther ferus imbre querelas.
Conantes cernas, alios juga summa petentes
Quicquid et exstat aquis : sed cursum intercipit
Interfusa jugis, et gressus degravat imber (unda
Lapsantes, limoq; pedum vestigia tentat.
Hic prensat truncum, sedet alter lintre cavato,
Ille subit tectum, vel ramos arboris altæ
Ascensu superat, præ rupto aut colle residit,
Aucta lavet donec sedem, vel subruat unda.
Alitibusq; vagis, ubi lassavere volando
Brachia, nec quidquam quo possint stare remansit

Unda dat ingratum fessis post cuncta cubile.
Consuetas non novit anas, non halcyo ripas,
Littoraq; immensum mirantur cuncta profundum.
Afflictiq; vadis pisces, et monstra marina
Terga supinati mediis volvuntur in undis.
Tunc etiam Tethyn sibi Proteus ipse novercam
Questus erat, sedes et cum grege linquere avitas
Atq; solum cogi se vertere. Sed quid in istis
Immorer? aut sperem verbis æquare laborem?
Tota suo tellus cum cultu, operumq; decore
(Quem Natura dedit, quæve ars superaddidit) im-
Mersa fugit, tantæ nec sunt monumenta ruinæ (dis
Sola ratis mediis fluitans apparet in undis,
Nec velis, remisve agitur, nec dirigit actam
Clavus, at æthereus supremâ in puppe magister.
Ille per innumeras syrtes et cæca pericla,
Mille per anfractus, rapidosq; voraginis æstus
Duxit, in Armeno donec consisteret orbe
Monte cavo. Postquam jam fracta resederat unda;
Atq; per occultos fugit subducta meatus,
Insinuata cavis terræ, et constricta latebris.
Queis sensim est absorpta palus; emergere tellus
Cæpit, et exertos hinc, inde ostendere montes.
Sed pater omnipotens lenti pertæsus aquai
Tardifugæ abscessus, atq; eduxisse Noachum
Cum sociis ardens squallore è carceris atri,
Emisit Zephyrum, toto qui fusus ab antro
Æstiferis movit stagnantes flatibus undas,
Siccavitq; solum; latus unde est nudius altis
Montibus ad Zephyrum, præruptaq; saxa patescunt.
Hinc etiam tumulis mediis in vallibus ortus
Aggere telluris, misto velut æquore syrtes
Undiq; congestis æstu attolluntur arenis.
Hinc etiam colles in celsum excrescere montem,
Inq; vicem montes reprimi cæpere, priorq;
Clivus in æquato recidens disparuit agro.
Dicitur ipse suos patriamq; laresq; priores
Confusis cunctis non agnovisse Noachus.

Ergo novas sedes, aliumq; immissus in orbem
Miratur, stupet intuitus, mæretq; tuendo
Squallentem terræ faciem, lachrymantiaq; ora,
Totq; sub informi latitantia funera busto.
Ne tamen excidium rursus metuatur ab undis,
Hoc animum signo firmat Deus, et jubet esse
Securum, quoties nubes mutitabitur imbrem
Lurida, fulgentem tibi mille coloribus arcum
Nube cavâ statuam, exhilaret quæ lumine cælum,
Prætendens signum pacis mortalibus almæ.
Hæc pater omnipotens; hinc primus et Iridos ortus,
Iridos, Origo. *Quam stupet, et merito Thaumantida nomine dixit*
Græcia, curvato pingentem nubila cornu.

CAP. 6.

Vitis repertio, & usus, fatum filiorum Noachi.

VErùm ubi siccatâ tellus solidescere fronte
Cæpit, et humentem passim deponere amictum;
Culturam meditatus agris, pertæsus et otî
Figit in aprico sedem sibi colle Noachus.
Prima fuit vitis cura; hanc concludere septo
Ordine dispositam, ac vallis fulcire juvabat
Luxuriem plantæ, et ramos suspendere lentos.
Origo vitis nova. *Sive sinu tellus cunctarum semina rerum*
Retinuit, fuditq; novas in luminis oras;
Sive novus cultor de clade recente receptam
Mandavit terræ; seu repperit, atq; recentem
Monstravit pater ipse suis hunc palmitis usum,
Inde fluit primo non vanum nomen Iaccho.
Hic, dum liberius dulcis sine crimine musti
Haustibus indulget, tantæq; latentis in almo
Palmite inexpertus virtutis, et ignis Iacchi,
Pocula prima novo spumantia nectare tentat;
Vincitur incautus, tepidoq; vapore cerebri
Obstructis loculis, serpsere oblivia menti,
Somnus et insuetâ compressit membra quiete;

Securumq; animi, pectusq; sinusq; retectum
Ædibus in mediis projecit, & ante cubile.
Ludibrium Chamo, qui viso forte parente
Risit, & (infandum) geminis rem fratribus edit.
Qui patris attacti curâ, & pietate, jacenti
Aversi inducunt tegetem, sic tecta subibant
Retrogradi, visuq; ipso violare timebant,
Exhorrentq; animis tanti spectacla pudoris.
Quêis pater (ut somnus cessit, capitisq; gravedo
Jam defæcato cerebri per concava Baccho)
Sat gnarus facti, jam pectus numine plenum
Effundit fatis, meritis pro, cuiq; rependens,
Dividit & totum non æquis partibus orbem
Ter geminis natis, dicto & sors quemq; secuta est.
Principio Diris, gnato in Canaane, profanus
Percutitur Chamus, duroq; addicitur usq;
Servitio, fratrisq; jugum portare jubetur,
Mancipium, servus, mediastinusq; catastusq;
Infælix Canaan, fratrumq; carebit honore:
Proferat at fines Iapetus (& iste potenti
Serviat) ac Shemi Deus in penetralibus adsit:
Serviat ast Canaan. Hoc illi lege perenni
Fatum erit, & mæstos sub compede transigat annos.
Hoc, ejus fuerat quisquis de stirpe superstes,
Æternùm subiit, Gibeonis ut incola pacto
Dura ministeria, et (fani licet atria circum
Atq; sacra) obsequium vile, atq; perenne, nec un-
Intermissuris redeuntia tædia curis. (quam
Inde fluens regni jus stirpi semper adhæsit
Japetidûm, imperiumq; magis tenuere per orbem
Persæq; & Graij, & (nomen fatale regendis
Gentibus) Ausonij, ac rerum quicunq; potitus:
Rara in Chamæâ numeratur stirpe potestas:
Relligio cessit Shemo, & custodia sacri,
Unde Dei totum manavit cura per orbem.
Tantum fata valent rebus, tantumq; paterna
Gratia apud superos; quêis sunt rata vota parentum
Quêisq; suas tribuere vices, ipsosq; Deorum

Esse loco natis voluere, & jura tenere.
Hic est ille bifrons, quem prisci nomine Janum
Dixere ignoto, cui seclum utrumq; videre
Contigit, & rerum casum cognoscere & ortum,
Monstravitq; novum vitis mortalibus usum,
(Munera, lætitiamq; Dei) nec magnus ad Indos
Jura dedit tantùm populis: quâcunq; sed orbem
Alluit Oceanus, Liberq; Paterq; Noachus
Dicitur, & ficto major dat nomen Iaccho.

CAP. 7.
Linguarum confusio, & gentium dimigratio.

JAm genus humanum rursus radicibus actis
Serpere per terras, lætâq; propagine fundi
Cœperat, Armeno nec jam consistere in orbe:
(Austrinus petitur tractus, Tauroq; relicto
Fælices sectantur agros, & amæna vireta)
Sed prius in vacuas, quàm se diffunderet oras
Constituit similem se contra armare ruinam,
Excidiumq; novum, cujus vestigia nondum
Exciderant animis, à clade recentibus orbis.
Ergo sibi validis præcinctam mœnibus urbem,
In medioq; cavam quæ tangat sidera turrim
Molitur, populis, si fluctus inundet, asylum,
Contemptumq; Dei, summiq; opprobria cœli.
Hujus (Chamæi genitus de stirpe) furoris
Dux Nimrodus erat, primus qui in regna coegit
Indomitos, docuitq; jugo jam assuescere gentes.
Ille virûm magnam tanta ad molimina turbam
Contrahit, eligiturq; locus, quà Shinar amænam
Planitiem pandit, lætoq; interfluit amne
Euphrates ingens, cunctarum rector aquarum.
Qui simul unanimi jam convenere coronâ,
Ilicet incumbunt operi; pars præparat arti
Materiem, (lateres ardent fumante camino,
Effoditur tellure lapis, vastæq; columnæ

Rupibus excisæ, turri decora alta futuræ)
Pars muros, & tecta locat (prægrandia saxa
Telluri subigens, tantæ fundamina molis)
Pars calcem, & cæmenta ferunt; pars ligna, rudesq;
Dedolat arte tholos, tignosq; hinc inde politos
Jungit, & exactam digito suspendit amussim.
Quanta per autumnum duros exercet agrestes
Cura operis, dum cœli urgent non certa serena;
Palantes cernas campis, pars falce calentes
Persequitur segetes, altus dat vincla maniplis;
Pars messem convectat agris, & in horrea mittit;
Hic fæni arentes stipulas, nudataq; prata
Convertit, pecoriq; hiberna in pabula ponit;
Ille sedet tectis, onera atq; advecta receptat,
Esseda multa ruit campis, & rura quadrigis
Quassa sonant, fervente vacat via nulla labore.
Aut velut artificum vario certamine gentes
Incumbunt operi, postquam lux prima grabatis
Exciit, & partes se quisq; accinxit ad aptas,
Compita cuncta sonant operis; hinc follibus ignis
Excitus crepat, & tuditum gemit ictibus incus;
Illinc æra sonant, limæq; attritibus altùm
Strident, tinnituq; aures læduntur acuto;
Hic faber impacta diffindit ligna securi,
Scabraq; detergit; saxis muralibus illic
Malleus, & clavo resonant cava tecta trabali:
Tantus in Assyrio fervet labor improbus orbe.
Quæ Deus humani molimina tanta furoris,
Inceptiq; minas cernens, non fulmina dextrâ
(Qualia cælipetas in quondam stricta Gigantes)
Arripuit, nec structa simul structoribus hausit:
Sed leni afficit pænâ, remoramq; furori
Innocuam injicit, primæ discrimina linguæ.
Quæ prius ut cunctis fuerat communis, & omni
Humano generi (quâ mentem quisq; sodali
Proferre, & sensus potuit conferre latentes;)
Sic nunc priva, Dei jussu, paucisq; remansit

Intellecta, aliis minimè; hæc oblivia cunctis
Immisit Deus, atq; alio dedit ore profari,
Quotq; ferè capita, in tot eunt discrimina linguæ.
Barbarus hinc quisq; est socio, mutatio tanta
Accidit, & mentes subitò confusio cepit.
Hic loquitur Græcè, respondet at ille Latinè
Teutonas hi, Slavosq; sonant; medio agmine Hebræus
Vix exauditur, tanta est discordia vocum.
Exclamant operæ, servosq; (ut cuiq; necesse)
Justa ministeria, atq; operi famulantia poscunt:
Sed voces jam nemo capit, vel jussa facessit.
Ille jubet lapides afferri, ligna feruntur,
Et pro calce lapis, cæmento saxa, laterq;
Omnia turbantur, curaq; in parte magistri
Quisq; suæ sævit, nec surdos verbera cogunt.
Ipse fremit ductor, totâq; immanis in urbe
Bacchatur, qualis surreptâ prole leæna
(Avia venator quam sectans abstulit antro)
Obvia cuncta petit rabie, cœlosq; sub ipsos
Verba jacit, latè indignans sibi tanta refigi
Cœpta palàm, & tanti monumenta perire laboris.
Sed vis nulla valet contra; damnavit inane
Numen opus, seclis ludibria certa futuris.
Illi autem varias hinc disperguntur in oras,
(Ut fors quemq; tulit, vel quæ consortia jungunt.
Aut metus,) & certo subdit se quisq; regenti.
Hinc primus regnis ortus, primisq; per orbem
Imperiis, linguis se consociantibus isdem,
Atq; ducis certi jussis subeuntibus, in rem,
Tutelamq; sui, sine quâ nudosq; inopesq;
Agnoscunt se se, capita atq; obnoxia damno.
Ille genus Persis dedit, hic Medisq; Scythisq;
Hic Graiûm pater est, Italûmq; hic Teutonas, ille
Prosevit Gallos; Pyrenæum transit, is, Alpes
Ardeunamq; alius, Juræ præruptaq; saxa,
Alter Sauromatas dedit, alter Afrosq; Libasq;
Et Pharias gentes, Garamantasq; alter & Indos,
Ac quoscunq; procul visit Sol aureus axe.

Omnibus his genus est, auctorq; petendus ab isto
Dissidio, & populis linguæ discrimine sparsis.

CAP. 8.

Abrahamus ex Chaldæa evocatus è sterili & vetula conjuge prolem, munere superûm humanâ specie in terras descendentium, suscipit.

HInc poterat Chaldæa suum posuisse furorem
Contemptumq; Dei, duplici jam clade recente
Admonita, et tanta ejus habens documenta sub ora,
Diluviiq; mala, et pendentis fragmina turris:
Sed genus indocile est, atq; immemor usq; malorum
Humanum, capiat si forte remissio rerum,
Atq; quies, redeunt ad veros pectora mores
Sponte suâ, et modicam sequitur lascivia pacem.
Hoc docuit Chaldæa, Dei quæ conscia quamvis
Unius, et toti qui legibus imperet orbi:
(Astrorum hoc illi monstrasse scientia, cujus
Tam studiosa fuit, potuitq, ediscere cælo)
Immemor illa tamen, tanti securaq; veri
Pluribus indulsit numeroq; et nomine cassis
Numinibus, Memphimq; æquat vano agmine divûm:
Unus at est in tam corruptâ gente repertus
Numinis et recti cultor, cui pectore celso
Spreta superstitio, mos displicuitq; parentum,
Abramus prisco referens primordia Hebero.
Hunc pater ætherius, ne quæ contagia carpant,
Evocat et patriâ, et laribus, charosq; parentes
Linquere, seq; sequi jubet, et quamcunq; ferat sors
Sistere tellure, atq; ignotas quærere terras.
Huic è fratre nepos Chaldeis Lotus ab oris
Hæsit et Assyriis figunt tentoria Charris
Sed nec eas numen sedes assignat, et inde
Migrandum, longaq; Syras ablegat in oras.
Hic Lotum allexit Jordanis læta fluentis
Planities, quinis urbes quam mœnibus ornant,

Fulgentes latè tectis, & turribus altis,
Haud secus ac rutilo cùm gemma intermicat auro,
(Pallave purpureo fulget circundata limbo)
Hinc, illinc augetq; auri, minuitq; nitorem:
Sic pulchra in lætis fulgebant oppida campis;
Nec sola arridet fæcundi gratia ruris,
Æmula primævi nemoris fælicibus hortis.
Dispare sed colitur populo, fælicia rura
Fædabant mores, infandaq; facta coloni.
Quæ pater æthereus (quamvis gnarusq; vidensq;)
Explorare tamen statuens, æquiq; futuris
Reddere judicii rationem, exemplaq; seclis
Præpes ab æthereis, Syriæ descendit in oras.
Milite stipatus bino, superisq; ministris,
Terricolûmq; habitum, terrestriaq; induit ora.
Ac primum Hebræo se se commonstrat Abramo,
Carpere iter visus præter tentoria, cum Sol
Ferveret, medioq; diem libraret in axe.
Ille viatores ratus (istam namq; ferebant
Præ se se speciem) patriæ de more salutat
Accurrens, ultròq; viros invitat in ædes,
Atq; moræ ferrent, rogitat, dispendia parvæ,
Dum corpus reparent epulis, & frigus in umbrâ
Captarent, lotis repetantq; negotia plantis.
Sic non invitos demùm movet, atq; patente
Accipit hospitio, properatæ ad fercula mensæ.
Qui, simul ac dapibus paulùm indulsere paratis,
Abramum vocitant cum conjuge, munus utriq;
Hospitio dignum, facti gratesq; daturi.
Nulla viro proles fuerat, nec pignora casti
Lenta tori, & sterili senium jam accesserat ævo,
Nec spes aut animus sobolis fuit: huic tamen intra
Tempora natura consueta, uteriq; labori
Spondent, & justos laturos pignora menses.
Nec dictis est vana fides; nam vulva senilis
Intumuit, cœliq; novo contacta calore
Concipit insuetam genitali semine flammam,
Virgineoq; sinus vetulos humore madescens

Lacte

Lacte fluit, læto turgescunt ubera rore,
Totaq; ceu redeat redivivo flore juventa,
Succida facta, uterum nonagenaria gestat.
Non ita Tithono produxit amica senectam
Aurora, aut fractos socero renovaverat annos
Ætias, & quicquid Græcanica fabula narrat
Miraclum hoc æquet, sterilem, vetulamq; parentem
Nulla canit, cunctas vatum superavit id artes,
Ingeniumq; ferax; non hos assurgit ad ausus
Numinibus dum cuncta suis affingit, & auget.
Numina ficta stupent ipsa; hic virtusq; fidesq;
Major, & externis imposta silentia scriptis.
I nunc virgineos ride sis perfide partus
Judæe, & gentis recolas primordia vestræ,
Hinc nostra est adserta fides, via strata futuro.

CAP. 9.

Sodomam Deus invisit, protervos cynædos scotomate perculit, & uxorem Loti in statuam Salis convertit.

INterea patruo Lotus distractus in oras
Diversas jerat, sedesq; tenebat amœnas
Planitie riguâ Jordanis divite rivo.
Proq; Sodomæis figit tentoria portis.
Huc iter arripiunt, & deducente viantes
Hospite contendunt superi; prior è tribus omne
Consilium interea pandit de clade Sodomi
Urbibus & sociis quo tristi motus Abramus
Nuncio, & abstracti casum miseratus amici,
Intercedit, agens precibus; ne sontibus unà
Insontes perdat, fatoq; involvat eodem:
Absit id à summo totius judice secli.
Quid si forsan (ait) recti inveniantur in urbe,
Et puri sceleris numero bis quinq; viginti?
Num tot in innocuos grassetur noxa? nihilq;
Intererit? placido Dominus cui reddidit ore,
Indulgens reliquis, & parcere spondet ob istos.

Hoc

Hoc magis incepto numen sermone fatigat
Abramus, precibusq; novis procedit, & instat,
Præfatus de stirpe sua (cui nil nisi pulvis
Atq; cinis subsit) vili, veniamq; precatus
Audaci officio; quid si (inquit) quina deessent
E quinquagenis capita? an discrimina quinq;
Tanta dabunt? parvo bonitas vel vestra labascat?
Annuit huic etiam genitor, votoq; secundo
Indulget, nec qinq; sibi mutare favorem
Spondet, nec paulum, si sorti desit, obesse.
Ergo novis instans precibus, instaurat Abramus
Vota Deo, & porro bis terq; quaterq; fatigat;
Quid si forte quater, ter, bisve decem tibi recti,
Cultoresq; tui, aut soli bis quinq; prophano
Permisti populo totâ inveniantur in urbe?
Num patieris (ait) communi clade perire?
Ne cadat in vestrum labes tanta, ac nota nomen.
Quod pater omnipotens etiam concedit amicè
Terve, quaterve decem aut solis bis quinq; patronis
Condonans reliquos, scelerumq; tot agmina in urbe.
Sic abit, oppositas & rectâ tendit ad arces;
Hospite dimisso, cui nil (per cuncta benignus)
Abnuerat Deus, & superabat gratia vota,
Non prius absistens quam deficiente rogante.
Jamq; dies seram recidens vergebat ad umbram
Et Sol Hesperias pronus spectaverat undas,
Quum Lotus in portis, si transeat advena quisquam
Expectans de more suo (peregrinus & hospes
Hospitibus bonus est) conspectis eminus, urbe
Procurrit, reputansq; viros, invitat ad ædes.
Ne, precor, in triviis, nudoq; sub æthere noctem
Ducite, quin nostris potius succedite tectis
Hospitioq; licet tenui, mihi gratia certè
Maxima erit, summiq; loco censebo favoris.
His animos flectit dictis, duciq; sequaces
Tecta sub, & lautæ preponit fercula mensæ;
Queis ubi semotis vix composuere sopori
Lumina, nec dum prima quies, ingente tumultu

Urbe

Urbe viunt totâ, pariter juvenesq; senesq;
Et sese agglomerant; Loti concursus ad ædes
Undiq; fit, quatiuntq; novo cava tecta fragore.
Quos Lotus, exerto, rogitat, sibi quid velit, ore
Turba furens, tantisq; animis conciverit urbem?
Cui pariter, juncta conclamant voce Cynædi;
Trade viros (inquam,) Veneris dent gaudia nobis
Masculæ, & insano laxemus fræna furori.
Quos Lotus, ut tali persensit peste teneri,
Prodiit, & precibus, jurisq; Deûmq; hominumq;
Obtentu revocare studens, & fædere sancto
Hospitii, rogat, infandum cobibere furorem.
Sunt (inquit) geminæ mihi pulchro corpore natæ,
Neutra experta torum, consortiave ulla virorum,
Has capite, insanas illis extinguite flammas:
Hoc tantùm probibete nefas, infandaq; monstra.
Sed nihil aut precibus, aut qua ratione moventur:
Acrius insistunt, & supplicis ora prementes
Contemptu, numeroq; invadunt agmine facto
Rumpere diffractis nitentes limina claustris.
Hic superi extensa Lotum intra tecta paventem
Arripiunt dextrâ, foribusq; adituq; repulsis
Civibus, incutiunt densam per lumina noctem,
Qua lux ex oculis omnis, visusq; recessit,
Et caligo gravis tenuit, palpant, titubantq;
Nec socios, nec tecta vident: incurrit hic illi,
Ille alii, oppositas caput iste impingit in ædes.
Atq; ita per varios flexusq; viasq; fatigant
Se misere, & longis fugiunt erroribus ædes.
Hinc scelerum manifesta fides, certumq; Sodomi
Excidium, superiq; jubent excedere Lotum
Conjuge cum, natisq; citum; namq; imminet urbi
Exitium, Solisq; jubar prævertet Eöum.
Quo Lotus attonitus dicto, generos monet; ut se
Subducant flammis, fatisq; instantibus urbis.
Sed generis risus, deliriaq; ista videntur
Vana, nec instanti se subduxere ruinæ.
Lotus & ipse suas lentus quoq; linquere sedes

Hærebat, nectensq; moras, vix sustinet ire,
Donec ab ætheriis, unà cum uxore ministris,
Natabusq; simul geminis (contagia quas non
Polluerant urbis, nec consuetudo virorum)
Apprensâ arreptus dextra pomeria longè
Est extra positus, peritura liminaq; urbis,
Jussus & arripuisse fugam, nec sistere tota
Planitie, ad primos cursu contendere montes.
Quò trepidi properant: sed mentis languida conjux
Substitit, & mœstos flectens ad mœnia visus,
Hæret in ambiguo; redeatne, suosq; revisat.
An fugiat, quò nec norit, nec speret abire,
Sic instante malo, vestigiaq; igne premente.
Quam pater omnipotens miseratus ab æthere longè
Cunctantem, & nolens communi absumere flammâ,
Sistere constituit reditum, nec longius ire
Sivit, & in medio fixit vestigia campo:
Quæ cùm mota suo vellet de more, rigere
Miratur mulier, conataq; vertice prono
Despicere, & tanti causam didicisse rigoris,
Duruerat cervix, callusq; obductus ocellis
Abstulerat visum, quem cùm detergere vellet,
Aruerat dextra, & sibi non par ipsa ferendæ est.
Quem cùm tam subitum casum gemere incipit, ipsa
Pectora distendi nequeunt, solitusq; reliquit
Corda calor, tenuisq; animæ præcluditur aura,
Totaq; marmoreæ similis tellure columnæ
Extat, & ad salsum accedit gustata saporem.
Cujus oves, capræq; latus lambendo fatigant
Nequicquam; nam quanta gregum deperditur ore,
Attrituq; redit moles (si credere dignum)
Nullaq; jam tantis patitur dispendia seclis.
Scilicet excidii Deus hæc non vana futuris.
Atq; levis, dubiiq; animi monumenta reliquit,
Ne quem pœniteat cœpti, jussisq; supernis
Obsequii, vult ille hilares, certosq; sequaces,
Nec trahit invitos, dubios aut opperiatur.

CAP.

CAP. 10.
Sodomorum excidium, & in stagnum sulphureum conversio.

INterea roseos conjunx rat Hora jugales
Et Phœbus conscendit equos, pluit æthere sulphur
Fulgure commistum, flammâq; accenditur äer,
Ignitisq; ruit guttis, & singula tactu
Corripit, ac campi mediis cum mœnibus ardent.
Diffugiunt pecudes, totosq; armenta per agros,
(Concita ceu rabido æstivis ardoribus æstro)
Urbibus & cives; hic se sub tecta receptat,
Atq; petit latebras; sed tecta præoccupat ignis,
Proteritq; alitu, semi somnes sulphura quosdam
Exanimant, stratisq; simul ferus ustulat ignis.
Erumpunt alii, sed summo culmine plumbum
Liquitur, ecce volant tegulæ, & flammantia saxa,
Ipsaq; suffuso tellus accenditur igni.
Ac veluti ruptis cúm proruit Ætna cavernis,
Vicinos & terret agros: aut monte Vesevo
Flamma furit, camposq; tegit cinere atq; favillâ,
Aut Jovis ignitâ volitant cùm fulmina dextrâ,
Omnia conflagrant latè loca, fumus & ater
Sulphureum fætens auras corrumpit odore.
Cuncta micant flammis, resonant ululatibus urbes,
Arvaq; mugitu, & fugientum horrore ferarum.
Quis cladem illius lucis, quis Solis Eöi
Triste jubar, mæstamq; per atra incendia rerum
Atq; loci faciem referat? vel vocibus æquet
Horrorem fati? superat, famamq; fidemq;
Vallis amæna, novis Edenis & æmula campis,
Deliciumq; soli (dicas telluris honorem)
Oppida quot tot regna fovens, quæ regibus ultra
Euphraten cunctis poterat contendere bello
Et tantam opposuisse aciem; decor omnis, honosq;
Atq; hominum vis tanta, & opum, consumpta repente
Fugerat in cinerem, terramq; redacta favillam,

(Stuppa velut, flammisve elata papyrus in auras)
Sulphureumq; lacum faciens locus, amne refuso
Stagnat, & horrendæ præfert monumenta ruinæ.
Cui Jordan liquido commistus flumine, dulcem
Miratur subitò sibi deperiisse saporem,
Absorptusq; lacu nigro, vel Tartara subter
Labitur, infernis summittens pabula flammis,
Æternamq; Stygem fluvio, et Phelegetonta ministrat:
Vel calor absorbet nimius, tetroq; vapore
Humorem exhalat, mittitq; sub astra mephiti.
Quicquid id est, nullis crescit lacus auctior undis,
Nec se se exonerat, nec vento attollitur ullo:
Mortua sed, segnisq; palus, nec flumine quicquam
Vitali, gratoq; fovens, genus omne natantum
Extinguit; volucresq; atris afflatibus haustas.
Nil illic dulcis carpit spiracula vitæ:
Exhalat sed quidq; animam, corrumpitur ipse
Arboreus fœtus; vicinis collibus uva
Non rubet, & putres reddunt pomaria fungos,
Quos simul ac tentes digitis convellere primis
Nil nisi sulphureus premitur de cortice fumus.
Exitus hic gentis Sodomæ; damnataq; ab alto
Terra ferax, Veneri quia tantum addicta nefandæ
Tristia venturis linquit vestigia seclis.

Invectiva in Sodomæ scelus.

Fæda libido, feris neq; cognita (quod neq; monstri
Africa, nec Tanais Scythicis ostenderat oris)
Prodigiosa Venus, quæ te Furiæve, malusve
Monstravit genius primam, [illegible]q; dedere?
O furor, O rabies, O fæda l[illegible]ia (primo
Aspectu cœlum quam fugit, abhorruit æther,
Incestata tui erubuerunt sidera visu)
Φεῦ, Fuge, linque, leva terras, sat peste supràq;
Infanda infectas; Orco, & natalibus umbris
Abde caput, nostras nè fama offenderit aures.
O pudor, O sordes, Natura cui satis ipsa
Invia tentandæ obstruxit, per vimq; peractæ
Addidit & fœdam speciem, comitemq; mephitim

Quic-

Quicquid & invisi faciat fastidia facti,
Pænituisse dedit, cuicunq; insistere limen
Contigit infandum, semel & tetigisse cloacam.
Quid? quod, & humanæ preciosa, heu, semina gẽtis
Sordibus immittis; tumulumne in stercore, & alvi
Excretis generi facies, primordia perdens?
Quei?q; parens rerum cœlestem admiscuit ignem
Et spiracla animæ referentis numina mente
Illa fimo immisces, fædâq; extinguis in alvo,
Prodigium, ultori debensq; piacula cælo.

Interea parvam Lotus Segoris in urbem
Venerat, haudq; satis tutam ratus (horror agebat
Tantus) in adstantes fugit juga cæca recessus;
Illic, monte cavo, se cum natabus in antro
Abdidit, ad cunctos sonitus, auras q; tremiscens,
Atq; ratus cœlum ruere. Hinc stupor obruit ægrum
Mærores, interq; metum: natabus at istam
Communem generis cladem, secliq; ruinam
Esse ratis (subeunte animum, quod sæpe parentum
Audierant seclo, immissum mortalibus orbis
Diluvio) subitum servandæ gentis & orbis
Consilium trepidæ cæpit subripere menti,
Ex patre (nec gnaro quamvis nec talia ad ausa
Consulto, quæ fœminei fiducia præceps
Ingenii est) prolem, generi semenq; futuro
Suscipere, & patrium saltem hac vice temnere nomen.
Hæc ratio capti: ne sit suspecta libido
Cum patre, tunc senc, qui Veneris dessueverit armis.
Scilicet has, Sodomis quæ continuisse protervis
Se poterant, juvenum nec tanti pendere amorem,
Credibile est arsisse senem, vel gaudia segnis
Præponant Veneris, facili vegetoq; calori?

CAP. II.

Isaacus nascitur, ablactato Ishmael illudens domo cum matre ejicitur, cui vaganti in locis solis fons aperitur. Isaaco immolato aries supponitur

Jam sua promissos complerant tempora menses,
Atq; uterum fert Sarra seni, vetulosq; recludit
Fæta sinus, edens inopini gaudia partus,
Jamq; parens justæ nutricis munere functa
Ablactarat eum, pater & spe prolis Abramus
Haud fluxæ fretus (transgressæ limina prima
Difficilis vitæ, & varium discrimen alendi)
Finitimos epulo cunctos accepit, Ephronem
Hethæi generis, (Mamræ qui vallis amœnam
Planitiem, & clivos Escollæ habitabat apricos)
Quiq; Philistæis latè regnabat in oris, (huzzam
Abmelechum, Picolumq; ducem, &, qui primus, Ac-
Gratiâ apud regem fuerat queîs gaudia lætus
Impertit, largoq; sibi quæ copia cornu
Fuderat, indulget genialia munera, magni
Lætitiamq; Dei. Quæ, non de conjuge, natus,
Pæne nothus, spectans, facibusq; accensus acerbæ
Ismaël invidiæ, tantæ dispendia pompæ
Risit, et insumptos malefirma in prole paratus,
Quæ velut hibernis serotina poma pruinis,
Concidat, et subito fallat tot gaudia luctu.
Quæ Sara audacis cernens ludibria vernæ,
Impatiensq; animi (forsan præsaga futuri
Quid vacuâ tentare domo patrisq; suiq;
Ausit) ad Abramum defert sibi visa maritum,
Ejectumq; jubet natum cum matre remitti
In Pharon, aut alias semotas longius oras;
Quippe nec, in patriis quamvis, hercisscere servum
Ingenuo simul, esse bonis, æquumve bonumve,
(Quando impar ætas, nec idem sit robur ab annis,)
Hic pater in sobolem quamvis propensior (ipsa

Naturâ stimulante animum) dedi{s}cere patrem
Nescius, obsequitur, monitis cælestibus actus,
Emittitq; domo flentes, et devia ituros
Per loca, nec Cereris noscentia dona nec undas.
Quos postquam in paucas luces panisq; latexq;
Suffectus defecit, inops jam mater & exspes
Deseruit puerum siccâ se fauce vocantem
Mærebatq; Deo. Neq; enim spectacula quibat
Tristia perferre, et lentæ suspiria mortis.
Cùm Deus, aut aliquis divinâ à sede minister
Mærentem vocat, et verbis solatus amicis
Tollere projectum puerum jubet, ut pote magnum
Stirpe novâ, et populi genitorem prole futurum:
Sic ait, abstrusos simul hic tellure meatus
Pandit, et elicuit fontem, qui prodidit undâ
Continuò se se: flentisq; sub ora cucurrit
Flumine: vel Dominus sua dona occulta retexit,
Obvia non cuiq; et quamvis præsentia, sæpe
Tecta tamen; tantâ caligant lumina nocte.
Præsertim pectus cùm cura dolorq; prementes
Distractum avertunt, nec persentiscere mente.
Sensa sinunt, interq; manus, quasi devia, quærunt.
Interea Isacus primis adoleverat annis,
Spemq; dabat frugis magnæ, gratusq; parenti
Præbebat tremulæ solatia rara senectæ.
Quum pater ætherius genitoris tentat amorem
Atq; fidem; obsequium nato præferre tenello
Num velit, an superis nati surgentis amorem,
Præcepto explorat, natumq; jubet sibi mactet
Unicum, et insuetis sacris pater imbuat aras.
Obstupuit jusso, nihilominus ad sacra se se
Obsequiumq; parat, nec jussis tempora differt,
Innectitve moras, causasve inquirit in altas:
Sed tacitus, vinctusq; animi, sua cuncta remittit
Numini, et mentem pariter cum corpore mactans,
Hoc etiam accessit meritis & laudibus, augens
Obsequium, quod non subitus dedit impetus illud,
Sed longæ momenta moræ, spatiumq; trahendo

Consilio

Consilio captoq; datum, mentemq; paratam
Mutando patrii si vis valuisset amoris.
Namq; locus longè distans, lux tertia sacris
Deligitur, longi superandaq; tædia tractus
Terrarum, & spacii; quod Phœbi tertius ortus
Vix complebit iter, sacris loca debita monstrans.
Collis erat, Moria nemorosis montibus, umbrâ
Secessuq; sacer, superûmq; affatibus aptus;
Non ibi languentes pastor consueverat æstu
Cogere oves, ramos violarat nulla securis.
Huc iter est, primâ quod matutinus Abramus
Luce, nihil cunctans, nec fallens conjugis ora,
Arripit, ingentes reprimens sub pectore curas,
Uxoris, natiq; memor, pariterq; duorum
Jura movens animo, nusquam delebile nomen.
Sed natus propior, comitem nam semper ob ora
Hunc habet, & voces puerilcs auribus haurit
Invitus quamvis, dum nomina quæq; locorum
Quærit, & ignarus rerum, quæ causa viæ sit.
Vulnera quis dubitet voces, totidemq; dedisse
Corde patrem gemitus, lachrymasq; per ora volutas?
Vix patiente sui spectacula ad ista dolore.
Ac velut oppositis conclusum rupibus æquor
(Quod scopuli hinc atq; hinc angusta fauce retentant
Ne totis spatietur aquis) sibi pugnat & æstu
Interiore fremens, fulvas commiscet arenas:
Sic dolor oppressus fremitat magis, atq; sub alto
Pectore depugnans, spatium per claustra, viamq;
Usq; petit, variisq; animos assultibus urget.
Sustinet at patiens genitor, sedemq; statutam
Ritè petit, gressus & promovet ante seniles.
Ac puero assumpto (postquam pertingere montem
Contigit, invisiq; jugo succedere) fascem
Lignorum imponit, servis sub monte relictis,
Ipse capit torrem, & sacri mactatibus ensem.
Sic pariter vadunt, soliq; incognita tendunt
Tesqua per, & clivo vix enituntur iniquo.
Hic puer ignarus capti, instrumentaq; lethi

Ipse

Ipse sui gestans, aram, pheretrumq; pyramq;
Sic prior aggreditur genitorem, & talia quærit;
Ecce sacris ferimus tædamq; ignemq; sed agnus
Est ubi, qui positas mox cæde perimbuat aras?
Cui genitor mistâ reddens suspiria voce;
Ne cures mi gnate: Deus *sibi providus ipse*
Sacra ministrabit mactandum monte bidentem,
Quo tacitus verbo (patriæ reverentia vocis
Tanta fuit puero) sequitur vestigia patris.
Cui velut obsequio certet, postquam juga summa
Attigit, & superûm de se, sacrisq; patebat
Consilium, haud segnis rem defugit atq; repugnat
(Ut juveni haud deerant grandævo obsistere vires)
Morigerum præbet se seq; patriq; deoq;
Vincla nec invitus puer induit, & super arâ
Extensus, jugulo expectat non inscius ensem.
Haud aliter quam cum tonsori vellera præbet
Agnus, & haud mutit, collo cum culter aduncus
Vertitur, & certum cervix glabratur ad ictum.
Quem pater omnipotens cælo miseratus, Abramum
Stringentem ferrum, & jugulum mucrone petentem
Incepto revocat, puerique à cæde retentat.
Ulterius nè tende (inquit) sat, sat mihi vestra
Est spectata fides, laus obsequiiq; probata
Cumq; mihi nato non dedignatus es uni
Parcere, nec patrium nobis præponis amorem;
Per memet juro (quando nil numinis usquam
Est aliud, cælo, terrâ aut Acheronte sub imo)
Innumerâ te prole patrem, quæ sidera cæli
Æquet, & immensas pelagi per littus arenas:
Nec sobole obscura, sed quâ manabit in omnes
Gratia cœlestis populos, ignotaq; dona.
Hoc placitum, non ulla dies mihi dicta refiget.
Interea nè certa sacris vacet ara, bidentem
Cornibus implicitum spinis, retroq; prehensum
Supponit puero omnipotens (virtute creatum
Seu superâ, aut tacitas delatum aliunde per auras)
Victima quæ melior superis, & gratior aras

Imbuat (obsequii merces est tanta parati.)
Sic in lanigerum mutata est hostia sacrum
Humana, & caesi fumat nidoribus agni
Ara pater nato fruiturq; à morte recepto.

CAP. 12.

Ex sterili Rebecca, precibus viri, gemelli nascuntur eodem partu sed dispare fato, quorum minor natu, Jacobus in Syriam profugiens avunculo servit, cujus oves albae agnos nigros & maculis respersos pariunt mercedem Jacobo. Unde rediens cum Angelo specie humana luctatus victor discedit eluxatâ coxa.

Hulic postquam deposita coma, & toga sumpta virilis
Est conjuncta toro, nata è patrue Rebecca
Assyrii generis, notâ de stirpe Nachoris,
Unde tulit geminos uno de semine natos.
(Hoc Deus indulsit precibusq; & gratiae Isaci
Cui quoq; de sterili, patrio gentisq; parentem
Esse dedit fato, fideiq; assuescere divûm)
Quorum qui minor, & parvo licet intervallo
Posterior latas lucis prorupit in oras
Fratre tamen fato major, praelatus & illi
Jura tulit primae geniturae, & grandia dona
Caelitus, ac superis Iacobus major Esauo.
Unde illi invidia, atq; odium implacabile fratris,
A patris instanti meditantis funere caedem.
Ergo germanum fugiens Eöa petivit
Regna, per Assyrias ubi dives avunculus oras
Praedia opima habuit, gregibus quoq; pascua cana.
Hic haerens, septem pro natâ inservit annos
Labani, pastorq; greges in pascua duxit
Torridus, octavam donec Sol redderet annum.
Quos obiit, lentos quamvis, alacerq; tenaxq;
Servitii; minuebat amor fastidia curae
Tristia nec tardi faciebant taedia menses.

Verum ubi justa suæ sperabat præmia curæ
Et connubia pacta, Rachelæosq; hymenæos,
Læa per obscuram noctis supposta quietem
Germanæq; vices, magnumq; subivit amorem.
Sed simul ac tenebras fraudemq; Aurora retexit,
Questus apud socerum, nil proficit, haud sibi moris
Causantem, & patriæ, tedam præferre minoris.
Compleat ergo novæ modò festa repotia nuptæ
Inde aliâ quoq; posse frui, pactâq; Rachele.
Ergò alios septem socero deserviat annos
Altera nupta jubet, nec pacta priora satis sunt
Altera ni subeat septennia, quæ quoq; perfert
Sedulus, & longæ tolerat nova tædia curæ.
Queis demum expletis servit septennia pacto
Tertia, & emeritos Labani collocat annos.
Non operæ precium, nec justa salaria poscens
A socero, totus sed divum a numine pendens
Iusta ministerii sperat sibi, præmia reddi,
A superis, curæq; gravis, fidiq; laboris,
(Elusi toties Labanis fraude tenacis)
Cœlesti, non humana mercede rependi.
Ergo gregis tantùm de fœtu sorte quotannis
Incrementa petit, nec provenientia certâ
Lege, nec arcanis Naturæ, aut viribus artis;
Si quid in albenti nascatur post grege, nigris
Respersum maculis, bicolorve, aut vellere fusco
Hac pastorali deposcit præmia curæ.
Haud mora, conditio socero placet, accipiturq;
Segregat & maculis respersas quasq; bidentes,
Committitq; suis, Iacobo pura relinquens,
Et candore nives superantia vellera primas,
Dividit & longis terrarum tractibus, atras
Montibus Assyriis, alioq; occultat in orbe:
Nox erat, & somnum carpebat fessus in herbâ
Pastor, apud superos questus de fraude Labanis.
Nuncius ecce Deûm tacitis allapsibus adstans
Admonet, & curæ solatur tædia verbis;
Ne metue Abrami soboles, et cura deorum

Te cælo data jussa petunt; en adspicis omnes
In Venerem pecudes fælice calore furentes,
Objice (dum coeunt, sitiensiq; ora per æstum
Fonte lavant) virgas detracto cortice sparsas
Hinc atq; hinc maculis, libroq; intermicet atro
Detectus candor; sic pinge, incide, colore
Distinguens vario, speciemq; hanc hauriat ore
Fæta pecus, simul & cum semine in ilia mittat.
Hinc maculis totâ respersa pelle bidentes
Nascentur, matriq; sua non concolor agnus:
Hæc teneas, memoriq; vide sis, pectore condas,
Hoc divum promissa dabunt. Sic fatus in auras
Celsus abit, somnoq; simul dispparet imago.
Hinc experrectus, simul ac turbata reliquit
Corda pavor, quamvis dubitet num vera videret
Somniáne, erectus tamen atq; ad sidera tollens
Lumina, ter visum numen sibi pronus adorat,
Imploratq; Deum patrium, qui rure Bethelis
Apparens, profugum prius, & solatus egentem est.
Nunc (inquit) mihi dexter ades, bone, numine firmo
Visa tuo; nil namq; tibi parere recusat,
Omnia versanti nutu arbitrioq; regenti,
Naturamq; tuis subigenti legibus altis.
Sic ait, et viso obsequitur, completq; canales
Fascibus incisis, hinc atq; hinc cortice rupto,
Discolor unde oculis species, atq; inde propago
In pectus penetrans, penitusq; in viscera mittens
Signa notasq; sui (dictu mirabile) fætû
Imprimit, ac toto dispergit corpore puncta.
Ac veluti vitro cùm Phœbus versicolori
Incidit, hinc variâ perfundit luce penates
Depingitq; domum: (quamvis color iste perennis
Nec sit, nec verus) per lumina transit imago
Sic subita, & miras fingit per viscera formas.
Haud equidem dubito, quin multum possit in istis
Natura, & rebus latitantia semina primis,
Quæ calor impressus, vel spiritus intus agendo
Excitat, extremas extrudens in cutis oras

Sed non usq; adeò certa hinc effecta sequuntur,
Ordine nec firmo, divûm sine numine facta.
Id nunquam fallit; nam quo se cunq; ferat fors
Perficit, occultis & dirigit omnia fatis;
Hinc quæcunq; viro socerum seu fraude pacisci
Seu forte, acciderat (maculis seu sparsa, vel alba
Nigrave) grex ovium mox concolor usq; secutus
Atq; favet famulo; pro votis tuta cadebant
Pacta viro, & certâ semper mercede beabant.
Jamq; Dei dono dives, superûmq; favore
Isacides, soceri ingratos liquisse penates
Optat, & Assyriis longum discedere Charris,
Grandævumq; patrem, dulcesq; revisere terras.
Germani sed terror obest, memoriq; repostum
Mente odium, causâ natalis juris adempti.
Hinc iræ, & multis non exorabilis annis
Ardebat vindictâ animus, certumq; fovebat
Exitium Esavus, si quando occasio ferret,
Et pater è medio sublatus cederet ævo.
Hujus Jacobus gnarus, certiq; pericli,
Muneribus aditum fratris sibi sternere ad ora
Apparat, & dirum donis lenire furorem;
Deq; gregum numero quinas ex ordine turmas,
Instruit, & paribus munus præit intervallis.
His reliquas præmunit opes, aciemq; suorum.
Quam dum Jabboci transmittit per vada nigri
Citeriore sedens ripâ, solusq; movensq;
Multa animo, & lucis discrimina certa futura
Ipse per obscuram visus contendere noctem,
Luctariq; viro, quem sat vigilansq; vidensq;
Sensit, & injectis miscentem brachia palmis.
(Sive Deus, sive ille Deûm de sede minister
Aliger, Isacidæ solamen ab æthere portans)
Jamq; sub Auroram (cùm Sol vix, calle supinus
Converso, in superas nitendo emergeret auras,
Et dubiam faceret lucem) dimittier orat
Aliger, Isacidæ palmamq; diemq; relinquens.
Quò tamen admoneat generis mortalis, & alta

Gloria ve extollat nimium, dum certat abire,
Victori rupit nervum quo jungitur axis
Coxa umbone cavo, & vertebra vincula solvit;
Pondera quo femoris tremuli, gressusq; gravare
Lapsantes cœpere virum, divina ferentem
Vulnera, & humani plusquam, monumenta duelli.

CAP. 13.

Esavi hostilis animus subito mutatur, Jacobus, Canaānem ingressus, invidiâ cædis Sichemitarum, cogitur sedes mutare, primum Bethelem, deinde Ephratam, Hebrone Josephus à patre emissus, à fratribusq; venditus, in Ægypto varias rerum vices subit.

INterea igniferum Phœbus conscenderat axem
Illustrans montesq; feros, camposq; jacentes,
Tesquaq; Idumææ; queis jam prombrat, Esavus
Quadruplici cum turmâ equitum, fremitansq; minansq;
Sæpeq; surrepti recolens opprobria juris:
Cùm Dominus subitam menti summittere pacem
Incipit, & partim flectendo (ac tædia longi
Imittendo odii) fraternum sumere pectus
Suadet, & occultis lenit monitisq; viisq;,
Partim vi subigit, pectusq; rebelle pavore,
Horrendisq; premit visis, & imagine turbat
Multa per obscuram immittens insomnia noctem.
Jamq; piget Furiæ quæ tot raptaverat annos
Transversum, miseret germani inopisq; diuq;
Exulis, oblitos exoptans cernere vultus.
Nec desiderio materve, paterve tenentur
Absentis tanto, quanto nunc ardet Esavus
Depositis odiis, furiati & pectoris æstu.
Atq; ut ad aspectum venit, non longa moratus
Officia; & fratris passus non supplicis ultrà
Ora metu dejecta, gradusq; gravamina claudi,
Involat amplexu, & cervici incumbit amatæ,

Osu-

Osculaq; admiscet lachrymis, gaudetq; doletq;
Atq; ex hoste fero plusquam germanus amore
Factus eisse se in comitem, cunctamq; suorum
Turbam offert, patrias queis deducatur in oras
Incolumis, per totq; viæ discrimina inermis.
Sed fugiens turbam frater, nec tuta recentis
Vincula amicitiæ ratus, hæc detrectat honoris
Officia, oblato reddens pro munere grates.
Ipseq; Succothas primum (quod nomen adhæsit
A stabulis caulisq; loco) mox rura Sichemi
Intrat, & ad celebrem tentoria promovet urbem.
Sed non tuta virûm semper commercia; nata
Unica (spesq; domus, generum, spondensq; nepotes)
Proxima jam thalamo & meliori digna Hymenæo,
Incidit in laqueum, & juvenis satiavit amorem
Barbari, inexpressus patri dolor, iraq; fratrum.
Continuò indignum facinus qui cæde nefandâ
Ulti sunt, totam viduantes civibus urbem,
Tantus vindictæ furor est; hæc sontibus una
Insontes rapit, & grassatur more cruenta
Tigridos, in miseras patefacto limine caulas.
Inde movet sacram sua castra Bethelis ad ædem
Hic reduci sua vota Jovi persolvit, & offert
Sacra, domus festis velatur tota coronis.
Gaudia sed non sunt propria, & mortalibus usq;
Læta, dolor fœdat, mutantur festa repente
Exequiis, mæstas prætendunt tecta cupressus.
Debora prima, suo maturo funere quamvis,
Explet fleta domum, nutrix jercchara Rebeccæ,
Posteaq; Isacidæ: mox vitâ charior ipsâ
Pulchra Rachel, partu periit votisq; petitæ
Enixu sobolis; superaddita imago sepulchrum
Signat, & Ephratiis in seclum visitur oris.
Sola superfuerant gemini solatia nati,
Majori orbatur genitor, fratrumq; scelestis
Artibus in multos patri subducitur annos.
Forte puer charos sectans per pascua fratres,
Illorum observans mores, & facta nefanda

Detu-

Delu'erat patri ; prima hinc sunt jacta scelestis
Semina in innocuum vindicta, odiiq; fremente
Invidiâ, patrio quòd tantum in amore viderent.
Nec minus à superis ob missa insomnia (divûm
Oracla, haud vanis puero testantia signis
Venturumq; decus, fratrum subjectaq; jura)
Hinc erat in puerum furiatis mentibus ortum
Exitium,& tacitas fratrum grex sævit in iras.
Mittitur infestos ignarus quærere fratres
Tesqua per, & montes (patre nil metuente pericli)
Nec metus ullus agris, (animis fraterna feritatis
Pectora plus ardent)venientemq; eminus armis
(Scilicet aut saxis aut duro cortice contis)
Contemnò invadant;ni fratres qui fuit inter
Natu & jure prior, fraterno sanguine dextras
Commaculare vetans, suasisset mittere in altam
Cisternæ arentis foveam,velutiq; sub umbras
Viventem, & gremio clausum irremeabilis urnæ.
Sic spatium quærens servando, patriq; puellum
Reddendo,aut, (si mors sit inevitabilis)ægro
Tempus inane petens animo; non secius illi
Ore truces,manibusq; feris suprema minantes
Diripiunt,prædamq; velut , velluntq; trahuntq;
Veste prius nudant (variam quam cura parentis
Fecerat)& manibus ducunt post terga revinctis
Ad foveam(spinis & agrestibus undiq; dumis
Obsitam, & obscura condentem fronte chelydros)
Culeo ut immittunt, miseranda nec ora morantes
Verbaq; cum lachrymis vocitantis nomine fratres
Multiplici ; surdâ peragunt incepta sed aure.
Nec faciem aversi, (tanta obsfirmatio mentis)
Immemoresq; famis, sitis & quæ guttura torquet
Rauca inopi, accingunt dapibus se, insomnia ludo
Atq; joco dantes,ineuntq; oblivia fratris.
His se dum torqueant,et pectora dira coercent
(Verbere quæ surdo cædunt, torquentq; silentes)
Ecce cohors variis Arabum transibat onusta
Mercibus,inq; Pharon nardum et sudantia libro

Balsama

Balsama odorato costumq; crocumq; ferebant,
Consilium hic ineunt (quo incertum authore Jehudæ
Ni, potiusve Deo) fratrem divendere in oras
Ignotas, plagiumq; neci præferre cruentæ.
Nec mora, non multis producitur auctio verbis
Ære licet modico (facilis jactura perosi)
Quòq; tegant facinus, patriam fallantq; nocentes
Notitiam, tunicâ mentiti sanguine tinctâ
Fortuitam cædem, referunt ea signa parenti;
Securi mæroris (atrox quem cædis imago
Haud dubiè ingeminet, quod præsagire valebant.)
Hic dolor usq; recens bis denos hæsit in annos
Pæne seni, reliqui nec dant solatia nati,
Atq; domus (mæstas, inquit comitetur ad umbras.)
Jam puer ignotas Josephus ductus in oras,
Sistitur in media populosæ Memphyos urbe,
Atq; foro, obveniat cui nescius, atq; tremiscens,
Spectaclo intereà. Cùm qui prætoria servat,
Duxq; satellitii, solitâ per compita pompâ
Dum vehitur, densis circumq; strepentibus armis,
Forte videt juvenem, vulgi quem tota corona
Ambiat egregium formâ, sed lumine multùm
Dejecto, lætumq; parùm; quem trita lacerna
Vix tegat, haudq; suum facies testetur amictum.
Mancipiumq; sciens, spumantes stare jugales
Præcipit, & turbâ cedente hinc inde popelli
Quæsito coëmit precio, famulùmq; suorum
Esse jubet numero. Pharii sic ductus in ædes,
Servit hero, primùm circa atria, moxq; per omnes
Servitii, decorisq; gradus; (nam fida probavit
Sæpe ministeria, & successibus usq; beata,
Numine præsenti) morum accedebat honestas
Ac pudor, in summis & grata modestia semper,
Hinc percharus hero, sociis in honore ministris,
Atq; fide cunctis, patriæ jam oblivia visus,
Traxisse, atq; domus contentus jure carere:
Cùm rerum subiere vices, adversa secundis.
(Sic visum superis;) Cœpit tentatio primùm

Blanda pudicitiæ, mox aspera pectoris alti,
Immotiq; malis. Hera demirata juventæ
Egregiumq; decus formæ, conceperat ignes
Haud volucres, seditq; alto sub pectore flamma.
(Utq; latens tabulis piceâ caligine teda
Proditur) haud vultu jam dissimulare furorem
Haud verbis valet, illecebras conversaq; ad omnes
Blanditiis animum tentat pervertere castum.
Cùmq; movens multùm, nil promovet (hæsit in illo
Tantus amor domini, tanta est reverentia juris,
Numinis & super omne metus) furiata libido
In vim prorumpens, demùm quoq; veste prehensum
Arripit, & miserum jubet exsatiare furorem.
Ille autem aversus, fugiensq; reliquit in ulnis
Pallia, colloquii metuens commercia blandi.
Quæ cùm detectum frustra vidisset amorem
Acceptumq; odio, favor est conversus in iras
Protinus & rabido vindictam provocat ore;
Inclamansq; domum, proponit ob ora marito
Exuvias servi, quasi vim obtrusisset adulter.

Digressio in Libidinis malum

Quid vesane furor non persuadesve trahisve?
Est Furiis cognatus amor, male suada libido
Transit in has, demùm Furiarum maxima prodit
Dira sibi, aut aliis. Fugite, hanc depellite pestem
Pectoris ex aditu pueri innuptæq; puellæ
Impos Amor voti, pariterq; pericula compos
Semper habet; sine quo non ulla tragædia, nulli
Planctus, & infausti semper celebrantur amores.

Hic dominus quamvis crebra experientia servi
Atq; movet fidei, lachrymis tamen actus amatæ
Sævit, & in tetram ferrati carceris umbram
(Regis ubi vincti torquentur perq; duelles)
Conjicit, in strictâ subiturum flagra catastâ,
Compedibusq; miser. Per compita ducitur Unco
Inter probra domus, & verbera: quod nisi recti
Conscia corda inopem, diviniq; aura favoris
Desuper irradians, clàm sustinuisset, iniquo
Succumbens hic fasci, animum despondeat altum.


Nec

Nec mala sub torvis tortoribus ista tulisset,
Sed Deus Isacidumq; parens, & fautor honesti
Affuit, & vinctos dat, vinctorumq; magistrum
Gratiam apud inveni, curam qui carceris illi
Devolvit, reliquisq; dedit jus ponere vinclis;
Inj icere, excubias disponere, pabula cuiq;
Dimensi deferre, loci quæ postulat usus.
Quæ dum fidus obit, vinctos de more revisens
Mane novo, observat duo præ se ferre dolorem
Vultibus, & mæsti lentis affatibus oris.
(Alter erat Pharii princeps pincerna tyranni,
Alter erat pistor, cædis suspectus uterq;
Regi intentatæ, per vim, vel dira venena.)
Ergo scitatus causam, atq; in somnia discens,
Visa jubet fari; neq; enim sine numine divûm
Esse immissa, Deum nec quæquam arcana latere.
Quarè, quisq; suum narrans accepit ab ore
Veriloquo arcani non vana oracula fati.
Nec responsa fide longùm caruere, probavit
Tertia lux, Phario natalis festaq; regi,
Alter apud regem est in pristina jura locumq;
Redditus, infectam pistor luit improbus offam.
Sub Jove suspensus nudo (canibusq; avibusq;
Præda,) procul signans albentibus ossibus agros.
Hic pincernæ operâ, sortem speraret iniquam
Cùm prolatum iri, causamq; ediscere regem
Posse suam, (rebus seu fit plærumq; secundis)
Vel mutans cum sorte animum, neglexit amicum,
Vel quia fit regum gravis ira, & mentio culpæ,
(Condonatæ etiam) uxam trahit atq; periclum,
Pertimuit revocare animo semel oblita facta.
Quicquid erat, causam non protulit ille, secundum
Donec circumagens compleret signifer annum.
Tunc verò ipsi sunt immissa insomnia regi;
Visus erat placidam per noctis stare quietem
Fluminis ad ripas, atq; ecce emergere septem
Cornibus & pandis, & obeso corpore vaccæ
Artubus immanes, & multo lacte fluentes

Ac campum tondere procul candore nivali.
Queîs aliæ totidem numero, sed corpore longè
Dissimili, macræ, vix hærentesq; retectis
Ossibus, (in Phariis quales non viderat oris)
Flumine sunt visæ, subiisse, atq; ore patente
Deglutisse habitas bene, pingui & corpore vaccas.
Nec magis hoc pingues, aut ullo abdomine tensæ,
Sed referunt tenuis jejunia pristina pastus.
Nec non & spicis septem surgebat arista
Prona gravi culmo, totidem quas ecce secutæ
Sunt tenues, afflatæ Euro, *atq; uredine nigræ,*
Atq; fame primam sunt visæ absumere messem.
Territ⁹ his monstris rex expergiscitur, omnem
Concitat & thalamum, vates, gnarosq; futuri
Advocat, exposcens quidnam ista insomnia portent.
Indole non prognata suâ, nec inania prorsus
Quin portenta Deûm; demissa oracula cælo,
Sed frustra in vanis exquirit numina divis
Vatibus, & divûm, nil illis tale recludunt
Fana, nec ars, cœli, Naturæ *doctaq; vires,*
Ergo *fremens Pharius minitatur dira tyrannus*
Vatibus, & vanam vatum succidere gentem.
Cùm regi à poclis, (vinclorum & carceris olim
Iosepho socius) sua seu delicta, tyranni
Sive graves iras recolens, denarrat Hebri
Stirpe satum juvenem, sibi, pistorumq; dedisse
Principi ab eventu responsa probata secuto,
Proq; suis cuiq; evolvisse insomnia fatis.
Ergo accersitus squallore è carceris atri
Veste comaq; simul positis quam mæror alebat,
Ducitur in puris Pharaonis ad ora lacernis.
Iussus & effari (poterat quâ maximus arte)
Somnia, sic reddit; sine me rex magnus Olympi
Ipse tibi responsa dabit, Rex, faustaq; fata.
Quodq; tibi septem spicæ, totidemq; juvencæ
Sunt visæ, est eadem ratio, communis utroq;
Res agitur viso; septem tibi numina messes
Septemq; æstates portendunt, copia cornu

Queîs pleno exundans, Ubertasq; affluet agris:
Quas totidem messes Euroq; Notoq; madentes
Aut Borea afflatæ, rapidisq; ardoribus Austri
Excipient, diramq; famem & jejunia ducent.
Quare te moneo, rex (inquit) itemq; monebo,
Prospicias in egena virum qui tempora regno
Provideat, Phariisq; finat non defore terris.
Quippe Deo certam geminata insomnia monstrant
Remq; indilatam, prostat sententia cœlo.
Vix effatus erat, cùm rex decernit (& omnis
Applaudit chorus) in juvenem regniq; reiq;
Devolvi curam, præstantem numine tanto.
Nec mora, continuò manui detracta regentis
Gemma datur digitis, & flava monilia collo
Et trabeâ induitur, terram quæ syrmate verrens
Asseclas gravat, occurrentiaq; agmina præco
Summovet officiiq; monet, lictore ministro
Sic aulâ longo deducitur ordine in urbem
Attonitam famâ rerum, juvenisq; decore,
Regia quem sceptris ornent modò jura receptis.

Finis Libri primi.



METAMORPHOSEON:

LIBER. II.

CAP. I.


Deus in rubo ardente nec flammis absumpto apparet Mosæ, Cui baculus in serpentem convertitur, reditq; in pristinam naturam; manus lepra aspergitur, eademq; sanitati redditur, ipseq; in via Ægyptium versus periclitans ab exitio liberatur præciso filio.



AM domus Isacidæ, numeroq; opibusq; peraucta
Creverat, & Phariis per secula sederat oris.
Panetria (huc cogente fame, quam septima messis
Jejuna Eois late diffuderat arvis)
Invidiosa Phari populo, qui afflixerat illam
Duro opere, & sævis infantum cædibus hausit.
Quos Pater omnipotens, gentis Deus, atq; patronus
Abramidûm, cælo miserans descendit ab alto
Invisitq; operas, onerumq; gravamina testis
Cominus edisci; quæ tantæ causa querelæ

Inquirens, populi quis tantus clamor ad auras.
Haud equidem ignarus rerum; (quasi lumine distans
Aut absens rebus cui sunt præsentia quæq;
Præsenti, per cuncta animo & virtute vaganti)
Notitiæ sed clara suæ documenta daturus,
Officiiq; viros moniturus, & exitii jam
Instantis, præ se speciem venientis, & ad nos
Fert descendentis, personamq; induit ultrò.
Forte per incultæ Madianis *tesqua bidentes*
Pastor agens Moses, *Phariis extorris ab oris*
Errabat, Sinai *propter confinia montis;*
Quem Pater *ætherius sic per dumeta vagantem*
Allicit ignotâ specie, visumq; trahente.
Dumus erat subito conflagrans igne, nec ullâ
Parte tamen flammis haustus, nidore nec ustus,
Durabat crepitante rogo, licet undiq; flamma
Corripiat, superentq; omnes incendia ramos.
Obstupuit visu Moses, deflexit & illuc
Spectatum, propius cupiens ediscere causam.
Cùm medio vox missa rubo est audita, proculq;
Stare jubet flammâ, soleas & ponere plantis;
Quippe nefas cuicunq; locum tetigisse prophano,
Præsentemq; Deum vulgari accedere gressu.
Hæc Pater: *at monstri contra novitate tremendâ*
Attonitus Moses, inopino & numine, velat
Ora sibi, visu metuens temerare vocantem,
Et tacitus tales accepit ab igne loquelas;
Ille ego sum gentis vestræ pater almus, Abrami
Isaciq; Deus, *patribus sat notus* Hebræis.
Vidi equidem, vidi Pharii *juga sæva tyranni*
Quæq; meus patitur populus, cui vindice flammâ
En adsum, immanes demùm quæ absorbeat hostes
Innocuis, salvisq; meis, quos nulla malorum
Absumet rabies, non ullâ clade tyrannis:
Non magis has ipsas quam flammâ cernis & igni
Absumptas sentes, aut evanescere fumo.
Quarè age, te mitto, mæstis & nuncia ferre
Isacidis jubeo; collo diffringere certum

Est



METAMORPHOSEON:

LIBER. II.

CAP. I.

Deus in rubo ardente nec flammis absumpto apparet Mosæ, Cui baculus in serpentem convertitur, reditq; in pristinam naturam; manus lepra aspergitur, eademq; sanitati redditur, ipseq; in via Ægyptiam versus periclitans ab exitio liberatur præciso filio.



AM domus Isacidæ, numeroq; opibusq; peraucta
Creverat, & Phariis *per secula sederat oris.*
Pænetria *(huc cogente fame, quam septima messis*
Jejuna Eois late diffuderat arvis)
Invidiosa Phari populo, qui afflixerat illam
Duro opere, & sævis infantum cædibus hausit.
Quos Pater *omnipotens, gentis* Deus, *atq; patronus*
Abramidûm, cœlo miserans descendit ab alto
Invisitq; operas, onerumq; gravamina testis
Cominus edidicit; quæ tantæ causa querelæ

Inquirens, populi quis tantus clamor ad auras.
Haud equidem ignarus rerum; (quasi lumine distans
Aut absens rebus cùi sunt præsentia quæq;
Præsenti, per cuncta animo & virtute vaganti)
Notitiæ sed clara suæ documenta daturus,
Officiiq; viros moniturus, & exitii jam
Instantis, præ se speciem venientis, & ad nos
Fert descendentis, personamq; induit ultrò.
Forte per incultæ Madianis tesqua bidentes
Pastor agens Moses, Pharis extorris ab oris
Errabat, Sinai propter confinia montis;
Quem Pater æthereus sic per dumeta vagantem
Allicit ignotâ specie, visumq; trahente.
Dumus erat subito conflagrans igne, nec ullâ
Parte tamen flammis haustus, nidore nec ustus,
Durabat crepitante rogo, licet undiq; flamma
Corripiat, superentq; omnes incendia ramos.
Obstupuit visu Moses, deflexit & illuc
Spectatum, propius cupiens ediscere causam.
Cùm medio vox missa rubo est audita, procul q;
Stare jubet flammâ, soleas & ponere plantis;
Quippe nefas cùicunq; locum tetigisse prophano,
Præsentemq; Deum vulgari accedere gressu.
Hæc Pater: at monstri contra novitate tremendâ
Attonitus Moses, inopino & numine, velat
Ora sibi, visu metuens temerare vocantem,
Et tacitus tales accepit ab igne loquelas;
Ille ego sum gentis vestræ pater almus, Abrami
Isaciq; Deus, patribus sat notus Hebræis.
Vidi equidem, vidi Pharii juga sæva tyranni
Quæq; meus patitur populus, cùi vindice flammâ
En adsum, immanes demùm quæ absorbeat hostes
Innocuis, salvisq; meis, quos nulla malorum
Absumet rabies, non ullâ clade tyrannis:
Non magis has ipsas quam flammâ cernis & igni
Absumptas sentes, aut evanescere fumo.
Quarè age, te mitto, mæstis & nuncia ferre
Isacidis jubeo; collo diffringere certum

Est

Est servile jugum, Phariorq; levare tyranno.
Hæc refer, & reges procedere ad ora superbi
Ne dubites, populum districtè & poscere nostrum
Dimittat solvatq; jugo; solemnia sacra
Sunt peragenda mihi, populo celebranda frequente,
Finibus Ægypti longè, & Marcotidos oris.
Nam loca sola vocant, ternis distantia castris.
Hæc refer, & nostro confisus numine firma.
Hic animo paulum Moses, & mente receptâ,
Ignoti quæ signa Dei, *qua nomina regi*
Præferat. Isacidisq; suis (quos nempe profanos
Fecerat ipsa dies, & consuetudo Canopi)
Exposcit, Pater *ætherius cui talia reddit;*
QUI SUM QUI FUERO, *cui virtus, vita perennis*
Te misisse, refer: nempe hoc mihi nomen in ævum.
Hic animo quamvis factum satis: attamen instat,
Et nova signa petit Moses, portentaq; rara,
Queis probet authorem, mandata superna, fidemq;
Quod Deus *indulgens, dextrâ quam forte gerebat,*
Projicere in medium vergam jubet; illa repente
(Horrendum dictu, quod vix quoq; lumina credant)
Sibilat, in longum subitò protensa colubrum,
Sanguineisq; notis variatus terga, oculosq;
Suffectus flammis, in spiras corpore torto
Volvitur, & tremulas attollit vertice cristas.
Continuò horrescit visu, refugitq; bacillum
Exanguis Moses, flammantia lumina cernens,
Sed Dominus *revocat, caudâq; apprendere jussit,*
Atq; novam formam reddit, ligniq; priorem
Duritiem, & nodos emittit cortice crebros,
Nitentiq; manum & gressus velut antea firmat.
Hoc primum sis (inquit) habe: cui si modò signo
Non fidei satis est, istud superadde secundum
Deme sinu dextram (nam jusserat ante recondi)
Cùm subito scabra sentit lentigine dextram
Horrentem, canas leprâ retulisse pruinas
Miratur Moses, vix agnoscitq; rigentem
Ipse manum, digito metuens tentare sinistro.

Quam

Quam simul ac Domino rursus mandante recondit,
Ad veram rediit faciem, scabiesq; recessit,
Et renovata cutis puro est cum sanguine venis.
Deniq; nè dubites, fidei mora nequa supersit
Adde novum signum, mentes hæc tertia firment,
Flumine Niliaco lymphas, aut fontibus haustas
Funde solo, subitoq; cruorem vertet in atrum
Terra, fluens atro latè, ceu flumine, tabo.
His licet instructus signis, & numine divûm:
Causatur tamen hinc ravimq; & vincula linguæ,
(Sive hoc à teneris, natuq; subhæserat illi
Ingenitum vitii, seu jam contraxerat illud
Numinis alloquio præsentis, & ore tremendo)
Cui Pater æthérius satis hac quoq; parte facit, nec
Deserit inceptum: sed, linguæ usufq; vigorq;
Unde sit, exposcit, vocisq; moræq; viæq;
Nonne à me? nostriq; est, (inquit) muneris omne?
Ergo ope cœlesti fretus, nil ambigat ultrà
Aut metuat rebus, quoquam discrimine motus,
Ista sibi referat, jubet, ista sibi fore curæ.
Quin etiam germanus Aron, tibi junctus, obibit
Eloquii partes, linguâ non tardus, & audax,
Ille tibi interpres, tu nostri nuncius esto.
Hæc Deus; & Moses demùm quoq; numine victus
Se parat ad Pharios iterum remeare penates,
Cognatosq; suos, patriamq; revisere gentem,
Et mandata Dei sævo proponere regi.
Sed dùm carpit iter, primam cùm duceret intra
Hospitium noctem, cum nato, & conjuge fidâ;
Ecce per ambiguam lucem succedere tecto
Visa novi effigies, humano augustior ore,
Atq; virum stricto minitans invadere ferro.
Palluit ad visum conjunx, monituq; mariti,
(Seu nutu potius non tunc in verba potentis)
Præcidit tenerum malè grato vulnere natum
Sanguine eo redimensq; virum, fatumq; propinquum.
Miserat æthereis lictorem hunc numen ab oris
Ulturum sacri neglectum fœderis, (omni

Abramidûm cum stirpe initi) præcidere cunctis
Quo maribus pellis sancitum extrema, pudendi
Propendet quæ nare superflua, promimulæq,
Præputium dicunt, quod si octiduanus haberet,
(Non tunc depositum) curâ patrisq; rejectum,
Infans, atq; pater pariter sontesq; reiq;
Occiderent: certæ capita inde obnoxia pænæ,
Et devota neci, sacra Manibus, alter & Orco.
Forte pater tantum patriæ neglexerat exul
Relligionis opus, metuens seu conjugis iras,
Passuræ haud vulnus pueri; mysteria, seu, quod,
Et gentile sacrum nollet proposta prophanis
Quos extorris apud Moses, & mistus agebat.
Quicquid erat, placuit superis nec causa, nec ansa
Concilii; in sacris non linquitur optio nobis
Arbitriumve Dei jussis, sed prompta voluntas
Obsequiumq; morâ procul, & ratione receptâ.
Huic itaq; ereptus cladi procedit: at illi,
Antea Niliacæ fines quam attingeret oræ,
Occurrit germanus Aren (cui nomen ab arcâ
Seu quod ei impositus, fato vitarat eodem
Quo frater lethum, seu forte ob dona reposita
Eximiasq; viri dotes, fecere parentes
Omine non vano nomen, spem præcipientes)
Qui primum ut vidit, fratrisq; amplexibus hæsit,
Funditur in lachrimas; partim dum inquirit in omnes
Exilii casus, annos & in orbe peractos
Diverso, partimq; suorum tristia narrat
Fataq; servitiumq; infantiq; cidia dira,
Quæq; vel est passus populus, vel ab hoste, timebat.
Sic postquam vario sese sermone vicissim
Explevere, suasq; satis res quisq; retexit,
Ad mandata Dei Moses descendit, & altas
Commissi curas, gravius queis angitur illinc
Isacidûm expendens animos, olimq; protervum
Ingenium, atq; isthinc sævi fera corda tyranni.
Defugisse nefas tamen, & provincia dura
Est obeunda; patres populi ergo accessere primos

Atq; aperire Dei, certum, jussusq; animumq;
Et nequis dubitet missi de jure fideq;
Terna adhibet coram signa, & portenta Deorum.
Inde petit regem, & patrio denunciat esse
Sacra Deo sibi cum populo, Mareotidos intra
Quæ fines celebrare nefas: per devia longè
Quærendumq; locum, legemq; modumq; sacrorum.
Ad quæ tùm Pharius reddit, de more, tyrannus;
Qui vos? quisve Deus vester? cùi tale jubenti
Obsequar, atq; jugo patiar decedere nostro
Servitia, atq; operas tot nostris usibus aptas.
Ergo probat signo Moses sua jura Deumq;
Projicit & baculum, baculusq; repente fit anguis,
Cortice subsidunt nodi, lignumq; rigorem
Ponit, & æra novum capiunt per terga nitorem.
Fitq; caput capulus, caudaq; minatur & ore.
Obstupuit visu rex, donec turba magorum
Adstitit, & verbis simili incantantibus ausa est,
Tunc verò obfirmans animum, Mosenq; Deumq;
Sprevit, & in populum gravius sævitur Hebræum,
Quamvis arte mala genitos deglutiit angues
Mosaicus, vastoq; insurgens hauserit ore.

CAP. 2.

Aqua Niliaca in sanguinem mutatur. Tellus primum ranis, deinde pediculis scatet (pulvere in eos converso) aër muscis novæ magnitudinis obscuratur; pestis gregum subita.

ERgo novo regem aggreditur per flumina signo,
Sanguineosq; parat latices. Jam Aurora rubebat
Crastina, & ad gelidas Nili descenderat undas
Rex Pharius, magna comitum stipante caterva
Illi se objiciunt Moses cum fratre, salutem
Postq; datam, & justos (sic mandat numen) honores,
Continuò, extensa percussit flumina virgâ.
Corrubuere statim latices, fædoq; cruore
Tingebant ripas, ac toto gurgite Nilus

Squallet, & horrendo tristat quoq; lumina tabo.
Non ita cùm totum discordia civica mundum
Concitet, Latiis & junctus barbarus armis
Funera mista daret, rivi rubuere cruore
Æmonii, aut Helles (Asiam cùm Persia totam
Intulit Europæ) perfusus sanguine pontus,
Atq; cadaveribus; illic subsedit, & æstu
Defecit sensim cruor, atq; recanduit unda :
Hic verò totus penitus computruit amnis
Extinxitq; vadis pisces, tetramq; mephytim
Flumine diffundens, ipsas infecerat auras.
Hic etiam magicis ausi contendere formis
Et portenta Deûm Pharii simulare ministri,
Prætendunt tetram rubefacto flumine lympham.
Sive darent speciem fallentem lumina tantum,
Seu veras formas, & habent has carmina vires,
(Permittente Deo, sive indulgente suis id
Nominibus, magici resonant quibus usq; susurri,
Tantum relligio superis placet) aut ea virtus
Clam residet rebus, naturæ legibus, aptis
In formas transire novas, ubi debita facta
Temperies, & causarum concurrerit ordo.
Quicquid erat, regi fuit hinc arrepta profano
Ansa Deum verum, verumq; orbisq; potentem
Temnere, & antiquâ sub relligione teneri,
Mittere nec populum, nec dura remittere vincla.
Ergo novum adjicitur signum, atq; ostenta parantur
Tertia, ranarum, quas tanto gurgite Nilus
Fudit, ut opplerent campos, urbesq; domosq;
Ipsaq; semoti subiere palatia regis.
Quicquid inaccessum, quicquid cultumve, sacrumve
Ascensu penetrant, contactuq; omnia fædant.
Horrida fit rerum facies, ipsumq; cubile
Mensaq; sordescunt, refugit vestigia penè
Quisq; sua, atq; ipsas metuit contingere sedes,
Omnia ranarum sordent contactibus, ipse
Ut Pharao, (quamvis istud simularier arte
Cerneret ostentum) tamen infractusq; timensq;

Cesse;

Cesserit, & pacem divûm prece supplice poscat.
Quæ simul ac magni sat jussa obiere Tonantis
Atq; ministerium, pariter vitamq; Pharonq;
Liquere, incestata suâ loca peste levantes.
Quo Pharao cessante malo, ad verumq; reversus
Ingenium, rursus superis obsistere jussis
Non dubitat, pestemq; novam rex attrahit ausis;
Pulvere prognatam turbam pulicumq; pedumq;
Quam modo percussâ Moses dedit undiq; terrâ
Cùm subitò scatet omne solum, fœdâq; catervâ
Serpit humus, dorsoq; hominum, armentûmq; residunt.
Nulla domus, nullus vacat angulus, omnis abire
Semita, & ipsa sequi vestigia terra videtur.
Obstupuere Magi facto, Jannes & Jambres
Terga, Deum fassi, dant, nec se posse reniti.
Obfirmat tamen hic animum, moresq; retentans
Antiquos Pharao, populum dimittere rursus
Abnegat, & cœpto vecors persistit eodem.
Ergo novas adhibet pœnas, muscamq; per auras
Evocitat Moses, nimboq; obducitur æther.
Insedere virens quidq; hinc virgulta frutexq;
Excelsa, & campi latè cum frugibus horrent.
Haud secus ac calamis sparsâ rubigine, cùm vos
Fumeus afflavit culmos, & sedit aristis,
Inficitur nigrore solum; sic omnia squallent
Insectis omnis generis, quæ examine denso
Agminibusq; volant, terrasq; & sidera inumbrant.
Durities hic victa animi, cecidere tyranno
Pectora paulisper, jussitq; ad sacra parare
Isacidas sese, & numen placare paternum,
Finibus Ægypti sed non procul; inde rogare
Pro populo & se se, cœlos nidore piantes.
Sed simul ac tantâ sensit se peste levatum
(Nam precibus cessit Mosæ, restinctaq; musca est)
Ad veteres rediit mores, mentemq; sinistram,
Excessumq; vetat populi. Nova flagra minatur
Ergo Deus, pestemq; gravem, quâ armenta gregesq;
Et jumenta cadant subitò, nullo indice morbi

Prævio, & exuperante malo curamq; manumq;
Quoq; scias nostro tantam te numine cladem
Exitiumq; pati, ponam discrimina vestris,
Isacidumq; palàm gregibus, nil accidet illis
Vulneris aut noxæ, Pharios tantummodò carpent.
Hæc Deus, effectumq; dedit lux crastina dictum;
Sternitur omne solum necis, densumq; cadaver
Fœdat humum, stratis mærent latè arva juvencis.
Rex stupet ad cladem; casu tamen, anne deorum
Immissus acciderit, missis explorat Hetruscis,
Num lethum grassetur idem Goshenis in arvis,
Isacidûmq; greges tulerit. Quanquam omnia sana
Inveniantur ibi, & pesti subductaq; noxæ:
Obfirmat tamen hîc animum, jussoq; resistit
Numinis, & populum retinet sibi sub juga missum

CAP. 3.

Cinis è fornace laterificâ in aërem missus hulcera, & papulas ferventes in hominibus simul & brutis excitat, Miræ molis & formæ grando & locustæ, omnia prosternunt & devorant.

Ergo nova Moses armatur clade, jubetq;
Omnipotens ut regem adeat, regiq; minetur
Vulnera quæ propius tangant, & sub cute sidant
Ipsi, cum populo. Cinerum sume atq; favillæ
Fornace è media, lateresq; coquente camino,
(Qui labor Isacidûm est) quantum cepisse pugillo
Ipse queas uno, missumq; sub æthera sparge
Atq; erit in cunctis pariter gregibusq; virisq;
Ulcus cum papulis, totis Mareotidos oris,
Intercusq; coquet fervor; candente camino
Qualis ubi adstantes erumpens ustulat ignis.
Haud secus ac jussus fecit Moses neq; verbo
Defuit effectus; passim populumq; gregesq;
Ulcera cum papulis torrent, fremit ipse tyrannus

Im-

Impatiens flammæ, quam nulla refrigerat unda
Nil lenire potest, recipit nam à flumine vires,
Haud secus ac oleo injecto, vel rore caminus
Respersus, fervet magis, atq; exæstuat igni.
Mollior haud tamen est, animum frangitve rebellem
Plaga; ferox renuit, cæptoq; insistit eidem.
Ergo manum propius medicam (sanabile pectus
Si sit, & haud omnem renuant præcordia curam)
Admovet omnipotens, & vastæ grandinis imbrem
Depluit in Pharias, molis memorabilis, oras. Apoca. c. 16. 21.
(Namq; talentares æquabant pondere massas,
Mole sed exuperant) quâ non animalia tantùm
Cæsa, sed & silvæ jacuere & robora fracta.
Flamma cui commista volans (mirabile dictu)
Fulgure terrifico reliquum consumpsit & hausit;
Cui strages nullis auditave visave seclis
Ædita par, Phariis nil non fædavit in oris,
Floridulis prius, atq; unâ velut undiq; silvâ.
Hic paulum cecidere animi, pectusq; tyranno
Infractum; rogat ut tonitru cum grandine cesset
Fulguraq; hac vice peccatum, culpamq; Tonanti
Agnoscit, spondens per se decedere terrâ
Indulgere sacris populo festisq; licere.
Sed simul ac cessit clades, pænâq; levatur,
Obsirmat sese jussis, vocemq; retractat,
Non simul ire sinens, natos, parvosq; receptans.
Illecebrâ hac sperans retrahi, Isacidumq; reduci
Servitia, aut vernas saltem retinere relictos.
Ergo novam intentans cladem vocat agmen ab Euro
Horrificum Moses, subitò venere locustæ Apoc. 16. 2, 9, & 11.
Ignotæ molis, stridentq; per æthera pennis.
Monstrum erat humanâ facie, longâq; per armos Locustarum forma
Cæsarie fusâ, galeâq; imitante tiaram
Armatum caput, & squamma (ferrugine tanquam
Loricæ) pectus, caudâ referensq; trisulcâ
Scorpion, horrisonis quatiens clangoribus alis,
Quales multijugi faciunt per compita currus.
Obtegitur nimbo cœlum, nec talia monstra

Visa Pharo, aut ullis examina cognita seclis.
Attoniti fugere magi, tectisq; tyrannus
Continuit sese: subeunt sed tecta domosq;
Ipsaq; magnorum malè clausa cubilia regum,
Terribiles cauda & rictu; nam dente leonum
Æquabant malas, cauda est armata veneno.
Hic jubet accersi Mosen rex, & rogat unam hanc
Deduci pestem populo; mortemq; propinquam.
Quod facit, & gelidis Caurum vocitavit ab antris
Reppulit ac fœdas volucres, pontoq; coactas
Mersit Erythræo, numerosam piscibus escam.

CAP. 4.

Tenebræ Cimmeriæ per triduum, primogeniti clade occulta perimuntur; quam sanguis agni liminibus aspersus arcet ab Israelitis.

HIC redit ad mores Pharao, mentemq; priorem
Immemor exactæ cladis, pœnæq; remissæ,
Nec populum patitur discedere; stringitur ergo
In varium nova plaga, animum fractura rebellem.
Horrificæ tenebræ tantâ caligine terras
Involvunt subitò, videatur ut ipse reclusus
Tartarus, & totos in cœlum effundere fumos,
Et penitus mersisse diem. Non astra, nec æthra
Ulla micat, manibus sed nox palpabilis ipsis,
At fugiens oculos, adstantem nemo, propinquum
Cernit, nec sedes potis est mutare priores:
(Tantus erat stupor, & conjunctus motibus error
Sed quocunq; loco deprensus in urbe vel agris,)
Hunc tenuit, longam donec nox conderat umbram
Sapientiæ c.17.v.4,5 *Solq; redux triplicis reparet dispendia lucis.*
Interea diræ species, sonitusq; tremendi
Errabant animis, atq; auribus, omnia terrent.
Nec potis est ignis solari luce tenebras,
Tæda capax flammæ non est (ceu tingat alumen,
Aut sal imbueret) dat nulla incendia fomes,

Exstinctiq; foci, subitò Memphitica nullum
Tecta fovent ignem, frigent Vestaq; Laresq;
Lux simul ac rediit, Mosæ precibusq; Deoq;
Quanta salutantum turba est? quæ gaudia primi
Solis erant? nequeunt expleri lumina visu,
Tantum intermissæ lucis desiderium fit;
Queîsq; Deûm dono fruimur (vulgaribus etsi)
Si careas, quantum faciunt deperdita damnum:
Nec tamen amissâ melior, nec luce receptâ
Fit Pharaö, populumve suo discedere regno
Isacidum patitur, gregibus nisi forte relictis
Atq; bonis; aliâ non conditione licebat.
Ergo supremam stringens in vulnera dextram
Omnipotens, decimum molitur ab æthere telum.
Intentans domibus cladem, charisq; per omnem
Pignoribus Memphim, primos & tollere quosq;
Natorum, (a vernis hæredes usq; tyranni,
Et procerum) primosq; gregum, queîs lucis in oras
Contigit egressus primis, uterumq; aperire,
Interea Isacidûm natos nè noxa volucris
Carperet, appositâ jussit distinguier ædes
Tesserâ, & exemptos rubrum præferre cruorem
Limine supremo, quem quis mactaverat agni,
(Nam cunctos mactare jubet) quò nocte pererrans
Noxa domos, fugeret signatum sanguine limen.
Haud secus ac jussi faciunt, mactantq; bidentem
Quisq; sibi, & spargit sacrato sanguine postes.
Vesper erat, tremulis accensaq; lumina flammis
Per laqueata poli fulgebant tecta, diemq;
Abstulerant terris, placidâ cùm cuncta quiete
Composita, optatos haurirent pectore somnos;
Lethifer ætheriis ales demissus ab oris
Per Pharon ædebat stragem, non visaq; figens
Specula, per cunctos spargebat tela penates,
Primigenas solos feriens (mirabile dictu)
Qui subitò dulcis linquentes limina vitæ.
Reddebant animas inopino vulnere tactas.
Experrecta Pharos media de nocte, tremendo

Omnia complebat luctu, per rura per urbes
Clamor it, & pulsæ resonant ululatibus auræ.
Nulla domus fuerat Pharias intacta per oras
Fugerat aut cladem, charissima pignora quæq;
Necta jacent, patrios tristantia funere vultus.
Hic abitum Isacidis Pharos acceleratq; fugatq;
Hospitii pertæsa sui, regisq; morantis.
Jam piget, & reliquum cupiunt à clade receptum.

CAP. 5.

Israelitas discedentes Goshene, columna, noctu
Lucida, interdiu nubila, deducit, Pharao
Furiis agitatus fugientes insequitur.

VErùm vix primis discessum est agmine castris
Et totam movere aciem, cùm accensa Megæra
(Omnia pervolitans) Pharias ut despicit arces,
Sanguineos volvens oculos, suffectaq; flammis
Lumina, Tartareas has addidit ore loquelas.
Siccine gens nostris devota, assuetaq; sacris
Debitaq; inferno; Stygio subducere regi
Se paret, & divis intendat vota supernis,
Acceptura novas leges, ignotaq; sacra,
Infectura alias, tracturaq; sub juga gentes,
Et superûm vis tanta valet, nec sistere contra
Possumus, aut ullis eludere, fraudibus acta.
Cessandumne tamen victis? cum viribus unà
Conciderint animi? non sic; namq; irrita quamvis
Cæpta cadent, nec quid sum promotura movendo,
Nescia cedendi tamen atq; infracta ciebo
Cuncta, vel incassùm satagens miscere ruinâ.
Quæ quocunq; cadat, nobis, Ditiq, perinde est
Sic dit, & lentis in amica palatia pennis
Decidit ac Jannis sese convertit in ora.
Chaldæi generis fuit hic notissimus augur
Artibus imbutus Phariis, atq; abdita doctus
Naturæ, (herbarum vires, succosq; potentes)
Atq; veneficii, quicquid vel carmine posset

Thessalus, aut gentis Maßylæ cana sacerdos.
Sic thalamum subiit, regisq; evasit ad ora,
Et prior increpitat; tantam né ô maxime regum
Elabi prædam patiere? tot usibus apta
Servitia, & (si bella vocent externa) paratum
Militem, inexhaustum delectibus usq; popellum.
Quinetiam vestris opibus hinc itur onustis
Atq; Phari spoliis; aurum atq; tapetia, vestes
Vasaq; & omnigenas gazas, præter sua scruta
Innumerosq; greges, onerant quibus arva meantes
Quisq; vehit secum, divesq, educitur agmen.
Sic abeant læti? nos mæsti, inopesq; malorum
Reliquiæ, eversis his desideamus in oris,
Obscuri, infames, servisq; opprobia nostris?
Quare age, nec sine te, nec nos vilescere multos,
Contrahe in arma viros, fugientem & protere turbam
Aut retrahe, & captis operum duplicato labores.
His dictis animum adspirat, mentemq, tyranno
Tartaream diros æstus per pectora fundens.
Haud secus ac tumidâ fervens basiliscus ab ira
Afflatu fundit virus, per sibila nectans
Luminaq; ac radiis mittens sua spicula cæcis.
Continuò excitâ Pharao bacchatur in aulâ
Obstantesq; quatit fremitans, vocat arma, virosq;
Arma viri, ferte arma (inquit) profugosq; sequamur,
Quin ruimus, trepidis, subitoq; instamus in armis?
Proterimusq; vagos, agimusq; ad pensa retractos?
Sanguine cæsorum tellus undabit & æquor,
Inferias has primigenis mittamus & Orco,
Sic ait, & tota (ceu taurus percitus œstro)
Urbe furit, vocat armatos, & trudit inermes,
Puberibus simul impubes, peditesq; equitesq;
Falcatosq; rapit currus; migrare putares
Ægyptum totam, Nilus stupet inscius agmen
Transmissum, cui non pontes, lembive, scaphæve
Sufficiunt, junctis tranant vada livida cannis.
Nam Furiâ stimulante ruunt, jam buccina signum
Surda dedit, fremitu quatiens dubitantia corda:

Omnia quantumvis terrent; ululavit Anubis
Infandum, gemuitq; (impar mugitibus) Apis.
Iamq; unis aderat pubes Nilotica castris,
Isacidisq; premens calcem, & palantia terga
(Montibus hinc atq; hinc, pontoq; a fronte retentis)
Imminet, & miseros quasi facta indagine claudit,
Hic ita deprensi primum vaga murmura miscent,
Inq; ducem surgunt; (quod se mutare quietas
Suadendo sedes, ad lethum in devia traxit)
Mox, (instante metu magis & magis, atq; sub ora
Succedente acie semper majore, novaq;)
Continuò clamor, fletusq; per agmina cœlum
Implet, & emissis obtundunt æthra querelis.
Hic Pater omnipotens agmen procedere certis
Ordinibus jussit, nec quâ formidine frangi,
Mirificamq; manu virgam præferre ministrum,
Ipse præit: vastâ, per noctem ardente, columnâ,
Nube diu. (Hanc faciem Deus induit, aut sibi sedem
Et speculam fecit, pro tempore, cerneret unde
Isacidûm populum, Phariiq; quod agminis esset,
Distineatq; acies, inimicaq; differat arma)
Alternis habuit vicibus discrimina formæ
Ista columna, vagis in conum surgere flammis
Jussa, modò in nubem densâ caligine fundi.
Quin etiam oppositas habuit simul ante retroq;
Hinc atq; hinc facies (Phariis os luce coruscum
Ignibus & fervens obvertit spicula vibrans
Æstifera, & nimio perstringens lumine visum,
(Quando duas acies est intercedere jussa)
Parte aliâ Isacidis æstum lenivit opaca,
Atq; umbram faciens. Rursusq; ardore tenebras
Illustrat sociis: Pharios caligine tristat.
Nunc quoq; divisa est, & multiplicata; præibat
Igne suis, simul & postremos nube coercet.
Nunc cojit, faciens unam, flammâ ante columnam,
Nube retrò, mutatq; vices ut poscit egestas:
(Numine, non casu dubio directa) nitens hinc
Inde latens, piceâ caligine nubis opaca,

Nuncq; lucerna viæ dux, nunc postrema sequendo
Munit ab accessu, Pharium deterret & agmen.

CAP. 6.

Mare rubrum Israelitis divisum, coit in Ægyptios.

Jamque maris rubri littus, muscosaq; saxa
Attigerant, nec quò jam progrediantur habebant.
Hic jubet extentâ Mosen dispescere virgâ
Oceanum, populòq; viam per salsa praire
Omnipotens: paret Moses (fiducia jussi
Tanta fuit superi) & tumidas diverberat undas.
Nec mora, continuò (dictu mirabile) pontus
Hinc inde attolli, vastoq; volumine findi
Incipit, & medio nudas ostendere arenas.
Cùi super incumbens immensis flatibus Eurus
Limine ab æthereo, pelagi promovit hiatus
Protenus, & fluctus protrusit ob ora fugaces
Littus ad Occiduum rediens quod crastina ab ortu
Aurora obstupuit, callem mirata per æquor,
Diductumq; vado, victumq; fatiscere fossâ.
Cùi sese audaci Moses pede prævius infert
Corripuitq; viam: quem cætera turba secuta
Ponè, sub elatas intrat (licet hæsitet) undas,
Æriosq; super fluctus, velut aggere stantes
Suspicit, & (coeant rursus ne sponte) tremiscit.
Si quis ab extremo speculatus littore fluctus
Prospiceret longè, nequeat discernere visu
Discessum maris, & spatii divergia parvi.
Audacesq; putet nimium, nimiumq; sequaces
Isacidas qui se vellent committere ponto
Sponte suâ refluo, tumidas horrere nec undas,
Deq; palàm miseris actum putet, atq; supremùm
Jam conclamatum queîs defugientibus hostem
Instantem, gravius incurrere contigit antè
Haud dubiumq; malum, & non exorabile letum.
Est nòn absimilis vulgi de gente piorum.
Ac nutrice Dei sensus & opinio fallax,

Dum

(Dum spectant clades, & quæ patiuntur ubiq;
Expositi damnis, noxæq; à relligionis
Hostibus innocui, nec non crudelia fata.)
Esse putant miseros capita & devota periclis:
Quum tamen his aliquis patet exitus, atq; malorum
Per medium via certa, (licet mortalia fallens
Lumina, & ingenium, populoq; ignota prophano.)
Jamq; maris medium, populus pervaserat audax,
Cùm Pharäo insequitur, nec se committere ponto
Insuetæq; viæ dubitat (sic ardor agebat
Immissusq; furor, percussaq; pectora thyrso)
Scilicet insigni, protractus ut in mare, totâ
Cum Memphi caderat, divûm victoria, clade.
Jam medium Phœbe curru superarat Olympum
Declivi q; polo stellisq; cadentibus, æquor
Hesperium spectans, vigiles muralibus altis
Per noctem stantes, solatur luce propinquâ:
Quum Deus Isacidûm de nimbo nubis opacæ
Reflexit Pharias acies, ægrèq; sequentes
Terruit, horrificum incutiens per corda pavorem.
Hìc primùm meminere sui, quò sintq; locorum
Noscere cæperunt; nunc optat quisq; regressum
Atq; fugam: via sed retinet, jam tota soluta
Limosis salebris, algâq; trahente pedum vim,
Temonesq; graves emoti curribus, ægrè
Progredi, & incepit turbari exercitus omnis,
Afflictiq; aliis alii, spatioq; coacti
Angusto, impediunt sese, gressumq; retentant.
Quum Pater extenso Mosen revocare bacillo
Oceanum jubet, & vinctum sibi reddere pontum,
Inq; acies totis Pharias immittere habenis.
Nec mora, continuò magno cum murmure volvi
Oceanus, rumpiq; ingenti hinc inde tumultu
Incipit, & totâ ruere alto à culmine mole.
Ac veluti Nilus præruptis montibus actus
Præcipitat fluvio, terrens vicina fragore,
Spumaq; per campos imitatur cana pruinas:
Aut avidâ tumidos quæ fertur fauce Charybdis,

Absorbere maris fluctus, rursusq; sub auras
Evomere, ingenti gemitu terræq; marisq;
Aut Pater horrisono quassat dum nubila curru
Consternatq; feras mentes pecudumq; virûmq;
Omnia rupta polo ruere, & confusa videntur
Haud secus ad primos rediens tonat unda receptus,
Obruit & medias acies, velut incideret mons
Agmini apum, vel formicis reptantibus antrum,
Nec qua patent tantæ subito monumenta ruinæ.
Cuncta tegit fluctus, donec demortua sensim
Ejecta, & mistis fluitarent arma quadrigis.
Interea Isacidûm tellurem jam tenet agmen,
Extremosq; salum sequitur (non ante redire
Ausum, quam tutos siccâ exposuisset in actâ)
Respiciuntq; suos absorptus fluctibus hostes,
Miranturq; viam, nec jam apparentia ponti
Compita per medium, & sua jam vestigia tecta.
Ergò inspæratâ reddunt pro vota, salute
Et Pæana canunt, turmam ducente virorum
Hinc Mose, choreis hinc respondente sorore
Littus Erythræum celebrant, & devia plausu.

CAP. 7.

Aquæ amaræ in jectu rami dulcescunt.

HInc dapibus modicis pro tempestate refecti
Lumina declinant somno, defessaq; membra,
Carpunt optatam post tædia longa quietem.
Luce movent castra, & loca per deserta, situq;
Squallida (Idumææ siccas sitientis arenas)
Igne duce arripiunt iter. Hic Cerealia dona
Nulla vident, nullas æstus solatia lymphas.
Murmurat hic ergo populus, Niliq; fluenta
Optat, & in Pharijs fuerat quæ copia terris.
Sed durare jubet Moses, numenq; benignum
Suspicere, & rebus se se servare secundis.
Atq; ita vix queruli pressa impatientia vulgi,
Tertius optatas ostendit Lucifer undas.
Nec tamen his sedata sitis, votisve satisfit. (Spes

(Spes hominum vanæ, fallacia gaudia visis
Nulla fides) gustare, sitim prohibebat amaror
Fluminis, insueto superans absinthia succo.
Numinis at monitu defractus ab arbore ramus
Injectus sanavit aquas, pestemq; latentem
Abstulit, & dulci perfudit nectare lymphas.
Abstinuere diu medicato flumine, abhorrent
Et vix gustato credit sibi turba sapore.
Donec ab innumeris facta experientia firmet.
Inde venitur Elim, rigua & latè loca bis sex
Fontibus ac decies septem florentia palmis,
Pro numero tribuum, atq; ducum; sic cura ministrat
Provida cælituum, & rebus deducit ab arctis.

CAP. 8.

Rore novo, (aliâs inaudito) Hebræis Man, populus Israeliticus per 40 annos alitur.

NE *tamen assiduâ torpescant pectora rerum*
Ubertate, locisq; animus frangatur amœnis
Inde quoq; invitos avellit (nube movendis
Ante dato signo castris) & in arida rursus
Hinc tesqua educit Dominus, dumetaq; Sinis.
Est locus Horebi colles, atq; Elios inter
Palmeta, haud alio (quàm densâ sente) virescens
Germine vel fructu; sterili damnarat arena
Omne solum, miseras vix dans Natura myricas.
Jamq; supra decimam lux condita quinta, recessu
A populi, & motis terrâ Nilotide castris:
Atq; suum rediens Phœbe compleverat orbem
Cùm penus (è Phariis quem raptim advexerat oris
Quisq; citus) crustis jam defecisse redactis
Exiguum in Cererem cæpit, spes comq; meatus
Nulla novi, peras quæ cuiq; repleret inanes.
Ergo sonat totis fletus & murmura castris,
Deplorantq; famem, jam quisq; efflasse misellam
Sub dominis animam Phariis (ubi copia rerum
Ad satiem, & plenis stomachus ructabat ab ollis,

Op-

Optat, nec lentâ consumi viscera tabe.
Ergo Deus populi vexatus murmure, votis
Sat facit, optatas primo cum vespere carnes,
Mane dari panem spondens, & fercula mensæ.
Montibus interea surgens Aurora rubebat,
Ambrosiâ totos irrorans undiq; campos ;
Cana superficies gelidæ de more pruinæ
Occuluit terram, coriandri semen imago,
Dulci mellitam retulitq; sapore placentam,
Illa fuit facies: virtus sed funditus alma
Et ratio atq; modus, nec cuiquam cognitus ortus,
Lexq; cibi, miri prorsus ; non ille dierum
Omnium erat, lucem septenam quamq; fefellit.
(Sabbata commendans populo, sanctamq; quietem)
Unde duplum sextâ dimensi cottidiani
Luce reponendum divina lege jubetur.
Nec tamen hinc cariem, nec labem senserat ullum,
(Quod quacunq; aliâ passum est vice, putridũ, olensq;
Vermiculisq; scatens) quod non sine numine divûm
Accidit, ætherios his monstrans legibus ortus,
Et jussis parere Dei, pendereq; ab illo.
(Quodq; magis stupeas) longæva in secla repostum
Perstitit, ut seris monumenta nepotibus essent,
Ostenti, factiq; novi ; Mortalibus alma
Munera non tantùm Cereris, nec dona Lyæi
Esse docens; verùm quicquid rerum Pater almum
Sanxerit ore suo, nostrumve crearit in usum.
Ille quaterdenos in pabula serviit annos
Isacidis, donec primas Cananis in oras
Perducti, optatos gustassent ruris honores,
Promissoq; solo, pactâq; quiete potiti.
Et quòcunq; vagis illinc stationibus usquam.
Castra movet populus, vos hic comitatus euntem est
Atq; per immensum diffusus cernitur imbre :
Non ullâ regione alia, telluris & usquam
Visus, ab externis per secula cuncta popellis.
Isacidis hic privus honos, & gratia facta est
Mandere cœlestem quamvis mortalibus escam.

CAP. 9.

Immensa coturnicum vis castra cum campis circum jacentibus obtegit.

His ubi deliciis paulùm assuevere libido
Exsaturata magis quam fracta, in tristia versa est
Tædia, & elati stomacho petulante palati
Nauseam, inexpleto poscens nova fercula luxum.
Quod Pater omnipotens justas licet actus in iras
Indulget tamen ingratis populoq; procaci
Sufficit optatas etiam ad fastidia mensas.
Continuò Æoliis Eurum concludit in antris,
Inducitq; Notum, volucrum qui detulit agmen
Grandinis in morem, castrorumq; undiq; fudit
Ad tantum spatii, quantum unâ luce viator
Conficiat; cubitosq; duos per devia acervo
Continuo jacuere altæ, terramq; tegebant.
Deliciæ æquabant numerum; generosa coturnix
Omnis erat, dapibus nata haud vulgaribus ales.
Quis referat tantam stragem? vel vocibus æquet
Aucupium? quam nec tellus toto orbe ministret,
Copiam, & haud omnes excussi indagine montes:
Omnipotens sed dextra Dei, cui qualibet orbis
Gens paret, nutum artificis sequiturq; potentem.
Irruit in prædam populus, mactatq; voratq;
Ad satiem, ut positas fædaret nausea mensas
Vix autem est sedata fames, & fracta libido,
Cùm macies totis, & pestis tabida castris
Grassatur, (primæ florem, roburq; juventæ
Carpens) & densis signavit tesqua sepulchris.
Sic Deus ingluviem (stimulat quam vana libido
Non contenta modo, non ulli subdita legi)
Punit, & in cœlum tot murmura jacta repressit.

CAP.

CAP. 10.
Aqua è petra educta vagos per deserta Israelitas sequitur.

Jamq; ad delicias, & lautæ fercula mensæ
Suppetit Isacidis, & plusquam poscat egestas;
Sed regio deserta, siti, quâcunq; moverent
Castra premit, nulloq; æstum dat fonte levare.
Ergo ad consuetos vertuntur murmure questus
Incusantq; ducem, quod tantum eduxerit agmen
In loca quæ tumulos solos: cippumq; ministrent.
Quêis Pater omnipotens, quamvis accensus in iras,
Indulget votis, & lympham divite venâ
Exundare jubet querulis, æstumq; levare.
Collis erat vastus suspectu, & rupe cavatâ,
Interius silice, ac latebroso pumice constans.
Hunc jubet, ut (lectis bis sex stipatus ab omni
Isacîdum genere) accedat, virgâq; sacratâ
Percussam findat Moses, in flumina pandens.
Ille quidem obsequitur jusso, sed fervidus irâ
Bis feriit temere rumpens in murmura vocem.
Nec mora, quum subito sese diducit hiatu
Petra, simul sequitur magnum ceu murmur aquarum
Undantum in præceps, & per declive cadentum.
Dum tenet attonitos sonus, ecce ingente tumultu
Erumpunt fluctus adstantesq; impete terrent,
Qui vix effugiunt instantem calcibus undam.
Quæ Veluti fluvius convalles amnibus implens,
Aut ipse Oceanus cùm ventis, æstuat, aut vi
Occultâ tumidus, fervet Lunaribus horis,
Haud aliter totis funduntur flumina campis
Miraturq; lacus populus, vastasq; paludes.
(Quodq; fidem superat) tamen id sacra pagina firmat; 1Cor. 10. 4
Hic verè moti colles, & saxa secuta
Isacidas (quâ se per devia cunq; moverent)
Flumine constanti, vel eâdem rupe, vel orto
Rupibus ex aliis strabum per devia sparsis,

Quas ego crediderim cunctas hoc vulnere apertas
Atq; ministerio simili, vaga flumina castris
Suppeditasse, novis usq; occurrentibus illis
Fontibus, optatas perventum donec ad oras.
Orpheus hîc sileat, vel quicquid Græcia fingit
De motisq; loco saxis, silvisq; secutis,
Totaq; divinis exotica fabula factis
Cedat; ei primum dans miripotentis honorem.

CAp. II.

Amalechitæ sublatis ad cœlum manibus Mosæ vincuntur, iisdemq; cadentibus vincunt.

HIc sese Isacidis opponit Amalechus hostis,
Sistere iter tentans, palantem aut perdere turbam,
Ut putat, & lymphæ, & doni Cerealis egentem,
Sed non hîc populi Deus aut oblitus avorum est,
Nec quamvis meritos malè tanto deserit hosti,
Se finit orari placidus, precibusq; vocari,
Indulgetq; novam mirâ ratione salutem.
Mittit in adversos lecto cum milite Jësum
(Tunc famulum, sed mox subiturum in jura magistri
Imperiiq; vices & munia grandia) Moses
Monte sedens, (latus hinc stipantibus Hure sodale
Inde Aarone suo) pugnam spectabat & omnem
Ceu speculâ, ac superis & mente & sede propinquus.
Qui simul ac hostis facta est impressio, palmas
Ad cœlum tendens unà cum voce, repressit
Impetum, & Isacidis animos viresq; reduxit.
Ast ubi jam lassis ceciderunt brachia palmis
Oranti, nec sese ultrà sufferre valebat,
Continuò versis insurgit Amalechus armis.
Sic propè per totam facta alternatio lucem
Bellantum, pugnæq; vices oratio versat
(Ut stabat ceciditve manus) victoria donec
Fixa foret demùm, posito sufflamine subter
Orantis cubito, suffultisq; undiq; palmis.

Finis Libri Secundi.



Liber. III.

CAP. I.

Lex lata Israelitis a jugo montis Sinai, flagrantis cum horrendo tubæ sonitu tonitruq; Facies Mosæ ab alloquio Dei fulget instar solis.



AMQUE Pharo longè positis, longèq; periclo
Omnibus instructis opibus, nullius egenis
Isacidis, leges restabat, juraq; solum
Ponere, & effrænes populi componere mores.
Cujus ad ingenium, rerumq; statumq; bonumq;
Omnia, & oppositas accommodat arbiter artes.
Haud secus ac pulli cautus moderator equini
Indomitum ad jussus fingendo acturus, & usus
Arte suos, non cuiq; adhibet quodcunq; lupatum:
Sic Pater æthereus, non legum prima nec usq;
Optima jura dedit; sed eorum moribus apta
Atq; loco, quem mox adeundum sciverat illis,
Numinis ignaros inter, populosq; prophanos.
Hinc in imaginibus multusq; frequensq; vetandis
Legifer est, statuæ impatiens, cippiq; vel aræ
Arte fabri factæ (quam per deserta vaganti
Districtè prohibet, nè forte minoribus illuc
Ansa foret reditus; aut relligionis in illis)
Primùm itaq; ex omni secreverat ordine legum
Scita decem, duplici quæ legifer ipse tabellâ

Extrata dedit populo, cum voce canorâ
Atq; tubâ, ex alto velut ex ambone rogasset.
Mons erat aërius (Sinai cognomine) cujus
Insedit Deus ipse apicem, per nubila flammis
Effulgens lustransq; vagis nidoribus auras:
Namq; polo micuere ignes, & densa volabant
Spicula, diruptis subter mons ipse cavernis
Ardebat, piceum vomitans sub sidera fumum
Intereà tremit omne solum, rupesq; resultant
Sedibus, & motis nutant tentoria velis.
Non ita fumiferis arsit fornacibus Ætna,
Aut quatitur Lipare, non sic Vulcania Lemnos,
Inarimève premens ægrè sub mole Typhæa.
Diffugiens populus, latebras per devia quærit
Atq; greges, æstro ceu perciti. Ab arce supremâ
Deniq; dat sonitum cava buccina (flante ministro
Aligero, summi tanquam præcone Tonantis)
Maxima quâ tellus tremuit, pontusq; refugit
Horrisonâ, totis Sinausq; remugiit antris;
Ductor ut ipse Moses populi, clangore vocatus
Horruerit, gelidum fassus quoq; voce pavorem.
Hîc procul à populo, tectus caligine nubis,
Dùm fruitur superis, & jussa capessit ab ore
Æthereo, Lunæ complentur cornua, rursus
Suntq; minuta, novumq; iterum curvantur in orbem.
(Nempe tot ad populum dantur mandata novellum)
Cùm faciem Moses mutatus, & ora, Tonantis
Aspectu fulget, cœlesti luce coruscus
Absterretq; suos insueto lumine vultus.
Qualis ubi summo Titan purissimus orbe
Fulget, & humanos perstringit lampade visus.
Talis ab äerio descendit monte, refundens
Ore sacro radios, & lucida spicula fronte,
Nec quisquam contrà potis est attollere visum,
Aut reducem agnoscit; lux tanta absistit ab ore;
Involvens refugos radianti lumine vultus.
Obstupuit visu populus, miratur & ipse
Ignarus facti, fulgentis & inscius oris.

Quod simul edidicit, sumpto velamine, frontem
Induit obnubens, radios & fregit amictu.
Sic patiens visum, tanquam sub nubibus ortu
Sol vel in occasu, cùm intercedente vapore
Pallet, & ad radios admittit lumina rectos.

CAP. 2.

Gemmæ in superhumerali & thorace sacerdotis pro vario rerum statu, eventuq, colorem, lucemq; mutantes responsa dabant & oracula.

TRadidit hic leges populo, moremq; sacrorum,
Et speciem fani, vestesq; & certa futuro
Vasa ministerio; tulit horum exemplar ab alto.
Quarum pontifici fuerat qui summus amictus
Gemma in utroq; nitens humero, responsa ferebat
Luce onychis variâ res ut quæcunq; cadebat
Fausta vel infælix; nunc luce notabilis almâ, 2 Sam. 5.
Nunc pallore latens; & si victoria fallax 23.
Aut incerta foret, (non vi tentanda sed astu)
Hunc etiam casum (dictu mirabile) certis
Prædixit signis, nec spem quâcunq; fefellit.
Nec minus & thorax simili virtute latente
Fatidica imbutus, gemma fulgore futuros
Prædixit casus non vana oracula fundens.
Non tamen hæc cunctis promiscua gratia facta est,
Ex-regi Saulo, Solymæq; instante ruinâ
Nulla per insertos data sunt responsa pyropos.
Ominis hoc semper mæsti, & ferale putatum,
Genti, sive viro; quo mors inopina, malumq;
Obruit incautos & non præcognita fata.
(Sic placitum superis) nec postquam præda recessit
Chaldæo, ad tales illi deservijt usus,
Victoremve monet thorax, captivaq; gemma.
Sed nec restitui amissæ, aut potuere vetustæ
Suppleri, inq; vices succedere gemma novella,
Unde futurarum tenuere silentia rerum,

Pontificesq; novos lux ista reliquit Apellas,
Qui praeerant populo captivâ ex sorte reducto.

CAP. 3.

Ignis cælitus datus, Israëlitarum sacris, in arâ asservatus, per LXX captivitatis annos, mire delituit.

Lev. 9.24.

JAm stabat fanum, totoq; instructa paratu
Ara Deo, sacris tantum modò defuit ignis,
Cælitus hic datus est (âlio sibi namq; litari
Omnipotens non vult) ultrò nam nubibus ignis
Fulguris in morem erumpens illabitur aræ,
Corripuitq; statim sacris nidoribus agnum,
It fumus cælo, completur, & æther odore,
Qualem dat, plenâ cùm thus adoletur acerrâ
Suppositum cedro; suavem sic omnia spirant
Ambrosiam, & lætum diffundunt sacra nitorem.
Hunc super impositum servari altare perennem,
Omnipotens jussit, vigilem sacravit & ignem
Excubiasq; sibi, semperq; ad sacra paratum.
Hunc septem decies servatum tradidit annos,
(Dum procul à patriâ diræ Babylonis in oris
Degeret extorris populus, templumq; jaceret)
Fama vetus; seu vi superûm, tellure sub aliâ
Atq; specu tectum, surreptum ex ignibus ignem;
Scintillâ cineres seu forte latente sub atros,
(Rudetibus mediis urbis, templiq; ruinâ)
Et rediviva novis excita incendia flabris.
Hunc cùm negligerent vulgariq; igne litarent
Thura Deo, bini sacrorum forte ministri,
Sive rudes, nec adhuc sat docti jura sacrorum
Sive quod ebrietas, & justo pocula plura
Redderet immemores simul officiiq; suiq;)
Ambos erumpens fani è penetralibus ignis
Corripuit, lethoq; dedit; monumenta futuris
Lev. 10. *Tristia proponens, discant ut sacra ministri*
8, 9. *Sobrii adire, prius nec tangere pocula labris.*

CAP. 4.

Mariam Mosæ germanam, sed seditiosam, lepræ pestis subitò corripit & fratris precibus recedit.

Dum per Idumææ deserta, incultaq; tesqua
Desidet Isacides, undisq; ciboq; levatus
Affluitansq; novâ rerum ubertate, resesq;
Securusq; animi; ducibus insurgere cœpit,
Inq; Dei primum tunc seditione ministrum.
Corripuit labes ipsos hæc peste sororem
Germanumq; ducis, vitio qui vertere Mosæ
Conjugium incipiunt, famamq; uxore gravare
Barbarâ, & haud sanctâ veterum de stirpe parentum.
Quos pater ætherius cœlo delapsus, ab atro
Corripuit nimbo, ductricis & arte columnæ.
Primaq; quæ fuerat culpæ rea, sonsq; repente
Canuit, hibernas leprâ superante pruinas.
Scabra cutis siccâ riguit prurigine, vertex
Cæsarie fluxa penitus detectus, & artus
Corrupti miserè pendebant ossibus albis.
Haud secus ac utero fœtus cum extinctus in ipso
Tabuit, integro vix ullo in corpore membro,
Ac nisi germani precibus revocata fuisset
A morte & valvis Orci jam pæne propinquis,
Pestis atrox totam carpsisset funditus haustam.
Septimus abstentam tamen, & de more, profanam
Semotamq; procul castris, sub carceris umbrâ
Sol vidit, longæ mærentem tædia pœnæ.
Interea ad formam rediit sanata priorem,
Suffusumq; cuti succum, sentitq; vigorem
Et rediviva novum recipit per membra colorem,
Non secus ac primæ revirescens flore juventæ,
Sanguine tenduntur venæ, caro mollior artus
Contegit, & levi cute prima reducitur ætas,
Cæsaries nativa redit, canumq; colorem
Exuit, & scabro labuntur corpore squammæ.

Priva fuit populo huic pestis teterrima lepræ
Corpora non tantùm carpens, & labe pererrans,
Tecta sed, & totos penitus cum pariete postes.
Quæ nisi diruta, dis-jectâ compage, nequibant
Purgari ratione aliâ; sic funditus alta
Insedit pestis, saxisq; subhæsit adesis.

CAP. 5.

Zelotypiæ mira probatio per aquam cum diris propinatam, quâ uterus adulteræ cum dextro femore intumescens, computruit.

Hîc referam diras, & pocula sacra probandis
Tradita adulteriis, vel suspicione levandis
Stabat ad æratum sacturus sacra sacerdos
Altare, & verbis mulierem devovet atris,
(Nî sit suspicio vana, atq; calumnia tantùm
Polluti thalami, & violati sponte cubilis)
Hinc latices sacro commiscens pulvere (fani
E medio sumpto) contemperat, atq; propinat
Verba reæ præiens, conceptasq; ordine diras.
Quæ simul ac sacrum demisit in ilia potum
Continuò (dictu mirabile) adultera sensit
Intumuisse uterum, (magno miscente tumultu
Viscera, non aliter quam post aconita) femurq;
Funditus amisso dextrum putruisse vigore,
Vixq; trahit: at casti servatrix siqua cubilis
Nil metuit, damnive trahit, nec labe notata.
Proditur occultum manifesto hoc indice crimen,
Atq; ita Zelotipis sit, satq; superq; maritis.

CAP. 6.

Ignea serpentum vis populum vexat, qui aspectu æneï serpentis sanatur.

JAmq; datum populo legum satis, atq; sacrorum,
Ergo castra movent, & sancto monte relicto,

Tertia lux Taberæ perducit ad invia saltus.
Hic iterum murmur populi, fatuamq; levemq;
Fastidit Mannam, desuetaq; fercula poscit
Altituum, pecudum q; Deus quæ gnarus Olympo
Spectans, in reprobos grassari, & vindice flammâ
Delere incipiens, extremum carpserat agmen,
Igne fero (sive è cœlo delapsus in ora
Sive solo emicuit, subito exanimatq; necatq;)
Innumeros hausit clades, donec prece Moses
Leniit offensum numen, stitit ignea tela,
Restinxitq; vagæ per castra incendia flammæ.
Huic non absimilem populi de murmure cladem
(Corripiente malo passim) stitit impiger Aron,
Cum vivos inter stans atq; cadavera, terno
Thure Deum placat, populum ter rore sacerdos
Expiat, & sacris restinguitur ignibus ignis.
Ignea serpentum simili de murmure turba
Nata, dedit stragem, populi plærosq; perurens,
Dipsados in morem, quæ per sitientia membra
Igne furit, flammans fundens in viscera virus.
Membra coquebantur flammis, cœlosq; sub ipsos
Murmura jactabant, incessebantq; Tonantem.
Qui quamvis justâ foret inflammatus ab irâ
Distulit inceptum tamen, & se passus adiri
Supplicibus Mosæ precibus, monstravit & ultrò
Quâ reparare queat populus ratione salutem.
Ilicet effigiem mandat serpentis ahenam
Figi, & in mediis ostendi pegmate castris,
Stipite transversum summo portante tigillum.
Hujus ab aspectu (quicunq; obtutibus æger
Inserat, & speciem pectus demisit in altum)
Sanatur morsu penitus, æstuq; levatur
Dipsados, a vero, simulachri aspectibus, angue.
Non secus ac jussus Moses facit, atq; sub auras
Erigit ingentem transverso stipite palum,
Quem circum amplexus spiris immanibus angnis,)
Implicat, & capite exuperans fit cernuus alto,
Æneus plaçidam velut ad spectacula frontem.

Hæc est illa crucis species, quâ stricta pependit
Nostra Salus, diri sanans à dente colubri,
Infernisq; homines Furiis, cæcisq; cerastis,
Qui genus in nostrum fundunt lethale venenum.

CHP. 7.

Occultâ tabe divinitus immissâ, exercitus omnis Israeliticus intra XL annorum spatium absumitur.

INterea redeunt quibus explorare Cananis
Arva datum, populumq; malis rumoribus implent;
Prævalidas gentes, munitaq; mœnibus altis
Oppida, quæ cœlis minitentur molibus ipsis,
Quin etiam immanes sese vidisse Gigantes
Attonitis animis, ipsâ incutiente pavorem
Fronte viris (seu sint homines, seu monstra, feræve)
Qui simul ac tristis concussit nuncius aures,
Continuò totis fletus, & murmura castris
Audiri, resonare vago tentoria planctu,
Eductos Phariis se se per devia terris
In bellum, certamq; necem, prædaq; futuros
Hostibus (immanes sua, quos audacia faxit,
Ejicere indigenas patriis è sedibus ultrò
Tentantum, & precium audentum sperare laborum.)
Solus Nunniades, & Jephunnæa propago
Stant contra, populumq; jubent confidere fatis,
Magnorum memores factorum ad flumina Nili
In Pharias gentes, & rubri littora ponti.
Prævaluit sed fama prior, rumorq; malignus
Obtinet, in lacbrymas populumq; in murmura mittens.
Audiit Omnipotens, justâq; accensus ab ira
Dejerat, optati non unquam gaudia regni,
Visuros, pactam terræ nec inire quietem.
Ex illo fractæ vires, languescere robur
Cæpit, & angustis ævum se condere metis.
Illaq; centenis sex agmina censa (moveret
Cùm sese Phariis exercitus omnis ab oris)

Millibus, ad capitum numerum rediere duorum,
Temporis exigui spatio vix condita lustra
Octo, nec ex toto numero duo pæne supersunt.
Tanta lues carpens occulta tabe peredit
Agmina, & integræ succidit fila juventæ.
Hinc per Iduvææ populus sitientis arenas,
Atq; Arabum saltus, Moabumq; per avia, vasto
Circuitu, variis castrisq; viisq; reducti
Donec Erythræi tetigissent littora ponti,
Casibus absumpti variis, morbisq; malisq;
Devia dispersis signarunt tesqua sepulchris.

CAP. 8.

Vestes, calceiq, Israelitis per XL annorum errores nec attriti nec dirupti, nec pes æstu intumuit.

NEc tamen interea divûm clementia prorsus
Deseruit, vitæ populo non parva ministrans
Subsidia, æternâ celebrandâ in secula famâ.
Præter enim victus rari haud vulgaria dona,
Accensenda venit vestis gestata tot annos,
Nec damnum patiens senio, nec corpori inepta.
Incrementa sequens ejus, discrimina & ævi
A puero crescens unà, pariterq; senescens.
Augeat hac numerum rerum censumq; novarum
Quæq; fidem superant hominum & mortalia fata,
Omnia queis ætas, & rerum deterit usus,
Nec variis ævi statibus, nec molibus apta.
Nam bullata brevis juveni, prætexta virili
Arctior ætati, calcando fatiscit aluta,
Pesq; tumet : tamen Isacidis hæc omnia sarta,
Tecta, quaterdenos per tesqua vagantibus annos.

CAP. 9.

Core cum rebellionis sociis vivi terra dehiscente absorbentur.

HActenus in Dominum populi sunt murmura, servii
Ista secuta petunt, & seditione rebelli

In Moses, fratremq; ruunt. Quod non leviore
Vindicat Omnipotens pœnâ, quam si petat ipsum
Se furinus, superisq; insurgant more Gigantum,
Quos Pater eversis subjecit montibus haustos.
Namq; *Dei in servis majestas, juraq; prostant,*
Effigiesq; Dei veri, & persona minister,
Seu *personatus potius* Deus. *Hunc sibi summus*
Substitutt, *terrisq; alium non præbet habendum.*
His mandata dedit plena, hos instruxit ab alto,
Atq; colendus in his Deus est, & debita sentit
Obsequia, officiis ergò certato mereri
Omnibus, atq; opibus, quin indulgere & honori,
Hæc pietas, hac tu dis relligione teneris.
Hunc *Pater ætherius temptum serviq; suiq;*
Ulturus, jubet ex unâ tres parte rebelles
Stare, nec ad reliquum tectis excedere cætum.
Cùm *subitò tellus tremebunda dehiscere cæpit*
Atq; aperire sinum, lucemq; immittere Nocti,
Subsiditq; *solum, tentoriaq; ipsa viris cum*
Atq; bonis, natosq; hausit, lachrymantiaq; ora
Clausit humo coeunte iterum, vivosq; sub umbras
Misit, & ad nigros per tristia tartara Manes.
Diffugiunt *visu populus, tutasq, latebras*
Quisq; petit, latèq; solum subsidere credit
(*Tanta obversatur species, & ubiq; recurrit*
Mentibus, ac tutos facti quoq; terret imago)
Hanc ex pænarum delegerat ordine solam
Omnipotens, partim quò corda superba virorum
Dejiciat, *cœloq; elatos deprimat* Orco;
Partim *quo moneat sceleris, quamq; exitiale*
Seditio *humano generi sit, quàmq; necesse,*
Tollere, & ex ipsâ convelli stirpe rebelles,
Hoc *docet exemplo, terris evertere pestem.*

CAP.

CAp. 10.

Angelus Balaamo in via obsistit, quem asellus conspicutus primùm defugit, mox pronus concidens vocem humanam emittit.

IAm Moabum ad fines, junctæ Madianis & oras
Venerat Isacidum populus, castrisq; tenebant
Planitiem totum, vicina pavore replentes,
Et veluti densis muscarum examina turmis
Floribus insidunt, ac per virgulta cicadæ
Vix dant agricolis spectacula læta; moventur
Sic Moabes cum rege suo, commune vocatur
Concilium, & longis vates Balaamus ab oris
Qui feriat Diris populum, devota ruinæ
Dans capita, infaustis per noxia carmina fatis.
Ille sub Eöis, prope Persica regna, tenebat
Montibus, occultas sedes, gentilia doctus
Sacra, & Chaldæos numeros. Legatio duplex
Mittitur huc Moabum, donis & honoribus amplis
Invitans, prohibensq; viæ postponere longæ
Præmia, promissis & spe majora futura.
Ille licet faci (nulli mutabilis) impos,
Gnarus & adversos Moabi decurrere fusos:
Promissis tamen, auriq; extimulante voraci
Ingluvie, & donis animum excæcantibus ægrum,
Obsequitur, Moabumq; duces comitantur euntem.
Vix iter ingressus, tectis deduxerat agmen,
Cum sese superâ missus de sede minister
Aliger opposuit, medioq; in calle resistit
Fulmineum vibrans gladium, (mortalia fallens
Lumina, vaticiniiq; actum) quâ vectus, asellæ
Apparet tamen, & multâ se luce videndum
Præbuit, illustrans dio fulgore caballum.
Qui subito attonitus visu, de tramite fugit
Concitus, abreptumq; tulit per devia vatem.
Vixq; reductus ubi stantem conspexit eodem
Calle, nec effugium se rursus habere per agros,
Irruit in vepres, & vallos aggere fixos,

Sepi-

Sepibus affligens vatem sed tertia postquam
Spectra videt vector, septis hinc clausus & illinc,
Concidit, & mediâ sese portendit arenâ.
Quem cum percussum foderet calcaribus amens
Vates, humanâ prorupit bellua voce,
Increpat & dominum, quod tanto terga furore
Verberet insonti, nec sueta moribus istis,
Quod probet ostenti potius factum esse stupendi
Quam culpæ in sese. Vix hæc distincta, nec ullo
Ruditu ediderat, cum vati cælicus ales
Se retegit, nostris quæq; obversatur ocellis
Humida, deducit nubem caliginis atræ,
Discutiens vatis claro fulgore tenebras:
Non aliter puro quam stella emergit Olympo,
Solq; recedenti cum se subduxerit umbræ,
Perstringit radiis oculos, nec spicula quisquam
Ferre potest; tali fulgebat luce Tonantis
Nuncius, & vatem prostravit voce trementem.

CAP. XI.

Aaronis baculus floret, & amygdala profert.

Miraclo nuper sat confirmata fuere
Iura magistratus, aliud nunc additur in rem,
Iusq; sacerdotum; nascatur nequa futuris
Seditio, & sanctum toties convellat honorem,
Leviacæ tribui commorant undiq; litem
Cæteræ, & ex omni restabant ordine Mosæ,
Germanoq; suo; sibi deligat ergo bacillum
Quæq; tribus (baculus namq; est moderaminis index)
Omnipotens monet, & signo expectare futurum
Iudicium causæ, quemq; auctora verit ipsis
Rectorem, & sacris præfecerit ipse ministrum.
Haud secus ac jussi faciunt, atq; æde reponit
Quæq; tribus baculum, proprio quoq; nomine signant
Crastina jam roseos conjunxerat hora jugales
Solis, & ex totis populus coitit undiq; castris,
Vestibulum ad fani, valvisq; patentibus intrat
Arbiter,

Arbiter, & baculos effert penetralibus omnes.
Solus Aaronis, per noctem floridus illam
Termes erat factus, ramis & fronde virescens,
Corticéque emittens gemmas, & amygdala densa.
Attonitus stupuit populus, siluere protervi,
Submittúntque Deo se, Mysten vulgus adorat
Æthere ceu missum, divináque signa veretur.
Hoc in perpetuum monumentum, ad secla futura
Æde asservari (tabulis cum legis, & ollâ
Ambrosiæ plenâ) jussit Deus; hocce monendo
Quanto in honore sibi regimen sit, legibus ipsis
Æqualis precii, donísque ex æthere missis.

CAP. 12.

Spiritum Mosaïcum Lxx. senioribus populi impertit Deus, unde continuò arrepti vaticinantur.

HActenus Amramidæ totius cura popelli
Incubuit, regiménq; senem jam mole premebat:
Cùm Pater ætherius rerum moderator ab alto
Mœrentem vocitans, nimia jam tædia curæ
Solatur; decies septem (delecta tributim
Sex capita) in cunctis aptos adsistere rebus
Conscribi jubet in socios, partémque laboris
Æquati, atque oneris, curæque levamen in horas.
Haud secus ac jussus Moses facit, atque senatum
Conscribit, lectósque Deo ad sacraria sistit,
Queîs, Pater afflatis cœlesti numine partem
Mosaïci impertit genii, & cum dote laborem.
Nec mora, cum subitò sentit præcordia quisque
Plena Deo, arreptis quatit æger anhelitus artus,
Eructántque novos gravido de pectore sensus,
Fatáque, & arcanis resonant sacraria dictis
Vaticinûm, toto nova monstra stupente popello.
Soli de numero duo castris forte sedentes,
Defuerant cœtu; sed non absentibus almus
Spiritus, aut ideo deërant cœlestia dona

(Non illum remoræ, spatia aut injecta locorum
Distineant, nec nos facit usq; incuria sontes)
Arripit hos etiam, binos & in agmine vates
Nuncius affertur Mosæ, divina profari
Injussos, sacrum saltem simulare furorem.
Queis interdici, atque injuncta silentia vellet
Nunniades : verùm Moses sat conscius, illis
Haud donum invidit, populúmque afflarier omnem
Optat, & innumeros impleri numine vates.

CAP. 13.

Moses de monte Nebo terram promissam speculatus, ibi Dei jussu animam reddit, corpore (non sine certamine Angelorum) clàm sepulto.

JAmq; ferè spatio emenso, longóq; viarum
Circuitu, optatas ventum Canaanis ad oras,
Finibus extremis Moabum. Vocat hic sibi Mosen
Omnipotens, Abarímq; jubet conscendere montem;
Hinc velut è speculâ terram spectare propinquã,
Promissásq; domos patribus, sedésq; paratas:
Non tamen hac sperare frui, nec inire licere
Cum reliquis, qui non similis potuere per ævum
Esse rei culpæ, patrios nec discere mores,
Murmuráq; in superos, quæ nescivere minores.
His datur, (haud aliis) speratæ gaudia terræ
Cernere, tantarum metámq; tenere viarum,
Pollicitiq; fidem superi; quam sæpe vocarat
In dubium populus, Moses nec in omnibus insons.
Ille Deum temerans (justam licèt actus in iram
Moribus à populi) non tantâ credita curâ, aut
Relligione obiit, cùm duro colle Chorebi
Educturus aquas, verbisq; & vulnere rupis
Edidit implacidæ signa haud exilia mentis.
Hoc itáq; ulciscens (nam culpa haud parva re-
Exemplóq; nocet) telluris finibus ipsum (gentis,
Arcuit, & speciem dat tantùm haurire propinquã
Lumini-

Luminibus, sed non dulces attingere sedes,
Hoc facto, jubet instanti se accingere letho;
Jam Parcæ tibi fila legunt, depone lubenter
Exuvias (inquit Deus) & mortalia membra,
Monte sub aërio; custos servabo fidelis
Depositum, & seris animæ conjunxero seclis,
Hospitio æterno. Moses hic pronus adorans,
(Isacidis simul ac effata novissima dixit)
Obsequitur, corpúsq; simul cum mente remittens,
Lumina perpetui clausit composita quiete:
Vix animam efflarat, superásq; recessit in auras,
Cum pedibus subitò corpus circumvolat uncis
Alitis informis monstrum (quod noctua fronte
Immaniq; leo rictu, caudáq, draconem
Assimilans, vastis efflabat faucibus ignes)
Arreptúmq; trahit corpus: sed detinet ales
Æthereus, sanctúmq; vetat violare cadaver,
Atq; insistenti denunciat alta, Tonantis
Nomine, cœlituum Patris, & dominantis Averno.
Horruit ad nomen, seu Dis, seu Dira, fugítq;
Murmure terrifico; montes tremuere fragore
Ipsáq; commotis fani tentoria velis.
Atq; ita desertum sepelit tellure minister
Ignota æthereus, cæco sub pulvere condens
Nulla nec impositi prostant vestigia cippi;
Ne populos teneant sub Religione futuros
Reliquiæ, & corpus divûm celebretur honore.
Quæsitumq; diu, montes ululatibus implens
Deflevit populus, dum conclamaret ademptum.
Illius hic finis magni vatísq; ducisq;
Tanto in honore Deo; cui ceu congressus amico
Ipse quaterdenis dignatus monte diebus
Se dare præsentem (quod vatum nemo priorum
Obtinuit, species tantum, atq; insomnia cernens)
Ille sed alloquiis, & liberiore potitus
Congressu, (quamvis non ullâ in imagine visi)
Obtinuit veras audire, & reddere voces.

Finis Libri tertii.



METAMORPHOSEON LIBER QUARTUS.

CAP. I.

Jordan in fontes refugiens, Israelitas in Cananem transmittit.

Jamque satis populus manes, & funera Mosæ
Defleverat, regiménq; jacens susceperat alter,
Nunniades, usus Mose vivente magistro,
Et genii consors, rerúmq; aptatus habenis.
Jámq; ad Jordanis perventũ flumina, & altis
Prætentum ripis Canaanis finibus amnem.
Hic Deus, ostento gemino, paribúsq; daturus
Auspiciis populo suprema in cœpta regentem,
Æqualémq; duci primo, dispescuit undas
Fluminis, & refugas in fontes Danis adegit;
Attigerant primis ut mystæ flumina plantis
Qui fano præerant, & sacra, Deúmq; ferebant,
Continuò cessere, vadóq; patente receptos
Isacidas siccis adverso in margine plantis
Exposuere, novis repressa fluenta repaglis.
Nec prius ad veterem redierunt flumina missa
Alveum, in oppositam quam totis transiit agmen
Ordinibus ripam, castris & tuta tenerent.
Hîc Deus è medio bis sex educere jussit
Alveo, & in cippos erecta relinquere saxa
Ulteriore super ripâ, monumenta futuris
Miracli, factiq; novi, quò numen adoret
Posteritas (tantæ cernens vestigia curæ
Quâ complexus erat priscos Deus ecce parentes)

Deserta

Deserat & partæ laudémq; decúsq; datori
Telluris, rerúmq; Deo, qui per mare pérq;
Flumina, & ignotas Arabum traduxit arenas,
Nequa secuturis subeant oblivia seclis.

CAP. 2.

Josua cœlesti nuncio confirmatus, Jerichunta obsidet, cujus muri ad cornicinum sonum concidêre.

HInc ad munitas Jerichuntis tenditur arces
Limite in extremo turrim, primúq; ruinam
Laturam fati, mœstum gentilibus omen.
Quam dum promotis molitur cingere castris,
Surgenti de nocte duci vir sistere contrà
Visus, & humano species augustior ore;
Ense minans nudo, strictâq; in vulnera dextrâ.
Quem prior, atq; animo dux imperterritus alto
Aggreditur rogitãs: heus (inquit) amicus, an hostis,
Quisquis es, effare, aut isthîc consiste sub armis.
Cui Deus (aut aliquis certè de gente Deorum)
Rettulit; Isacidis venio dux æthere missus,
Fatiferumq; fero Canaanis gentibus ensem.
Nil vobis (quocunq; pedem, vel castra movebis)
Obstiterit, tibi sterno viam, prosternóq; cuncta.
Procidit ad vocem ductor, ter pronus adorans
Nuncium, & admonitus deducit vincula plantis,
Sacratam metuens soleis converrere terram,
(Quam tanti vetitam faciat præsentia Divi*)*
Et tacitus jussis pandit cœlestibus aures.
Tu modò quæ jubeo capesîs, & pectore conde
Nec finito ætherios quenquam prævertere jussus.
Ecce tibi primo petitur Jerichuntia bello
Turris, & obsessam proterres eminus armis,
Nil opus assultu fuerit, nec molibus urbi;
Ariete nec crebro; tibi cornua sola parentur
Arietis; atq; tubis agmen resonabit ovillis.
His septem præeant sacrorum à fronte ministri

Instructi, reliquum quos agmen ponè sequatur
Circumiens urbis quasi certâ indagine muros.
Hoc vicibus septem faciant totidemque diebus:
Septima sed simulac terris aurora redibit,
Septenos duces orbes, de more canorus
Cornibus (haud alius belli sonus agmine fiat)
Sed vice supremâ (cùm certum buccina signum
Ære cavo dederit, non ulli cognita quonam
Inflante increpuit) tunc vocem quisq; per agmen
Clamore intendat, quò latè campus & æther
Infremat, & vasto cœlum tonet omne tumultu:
Mœnia tunc subitò, tunc propugnacula voce
Quassa resultabunt, trahet urbs hinc, indè ruinam.
Haud secus ac jussi faciunt, gyroq; supremo,
Clamorem attollunt, quo mœnia lata, domúsq;
Concussæ, & toto ruere urbs à culmine visa est,
Occultâ labefacta manu, fossæq; replentur
Molibus, & muris quondam minitantibus astris.
Hinc patet ascensus nudatam in mœnibus urbem,
(Undiq; circuitu vallum carpente ruina)
Immunis fati domus hospita sola Rachabæ,
Mœnibus innitens quamvis (sic si modò visum
Sit superis, fato limes præfigitur ipsi)
Attoniti cives, queis sisi mœnibus ante
Diffugiunt, séq; urbis in interiora receptant.
Hîc alii trudunt alios, turbántque ruúntque
Séq; premunt, pecudúmq; cadunt de more sub ense,
Cunctáq; funestæ dantur devota ruinæ.
Ipsa sub æternis urbs ponitur obruta Diris
Ne quisquam reparet; majoris funere nati
Fundamenta locet, simili portásq; periclo
Erigat, absolvens inopinâ morte minoris.
Hæc ait eversor; cui rerum ex æthere rector
Annuit, atq; ratas voces jubet esse precantis;
Effectúmq; fidémq; rei post secula multa
Sensit Hiel utriusq; luens hoc funere nati
Ausum, atq; exequiis reparans Jerichunta gemellis.

CAP. 3.

Canaanitæ ſaxis ab æthere obruuntur, Sol ſuper Gibeone ſubſtitit.

Nuncius exciſæ Jerichuntis, funus & Aï,
Par fatum expertæ, cives Gibeonis ad artes
Compulit, atque dolos, oratum fœdera pacis,
Iſacidas, falſos longinquæ nomine gentis.
Queis tamen eſt ſervata fides (tam ſancta fuerunt
Fœdera, pérque Dei nomen jurare timendum)
Hinc odium, & reliquis Canaanis gentibus iræ
In defectricem ſic à popularibus urbem.
Ergo movet totis Gibeoni cætera turmis
Bella Canan, arctâque urbem obſidione premebat.
Advocat auxilio populus Gibeonis amicos
Iſacidas, campis Gilgalis caſtra tenentes;
Qui propius rerúmque ſtatu, ſociûmque periclo
Expenſo, movere aciem, noctémque per altam
Progreſſi, primò caſtra aggrediuntur Eöo,
Ingentíque datâ reſtantum ſtrage, per agros
Diffugiunt reliqui; quos numen ab æthere ſaxis
Dejectis urgens, cœleſtibus obruit armis,
(Eſt facto non vana fides) pluréſque cadebant
Grandine, quã dextrâ Iſacidũ, aut hoſtilibus armis.
Nec tamen hîc ſteterat vindicta, cupidine cædis
Ardent Iſacidæ, jam noctem inſtare gementes.
Ipſe Deum votis, dux, aſtráque voce fatigat
Joſua, Phœbæos ſiſti ſufflamine currus,
Optans, ſuſpenſóſque ſuper Gibeone morari,
Donec Amorrhæos deleret funditus hoſtes.
Annuit Omnipotens, medio ſuſpendit & illum
Orbe diem, duplices æquantem tempore luces.

CAP.

CAP. 4.

Adonibezec tristes rerum vices sentit.

SIc peragrat totam Nunnæus in ordine terram
Victor, Amorrhæas mittens sibi sub juga gentes:
Sed post fata ducis victoria substitit, ultrà
Nec progressa fuit; populi seu desidis hærens
Neglectu, divûm seu justo numine, culpam
Mulctante Isacidûm, dum hostiles linquit ubiq;
Relliquias, seris quæ dura negotia faxint.
Prima è reliquiis gens Bezecana rebellat,
Vimq; facit Judæ; tunc Regnum forte tenebat
Magnus Adon, latè vicinis regibus horror.
Quinquaginta illi devicti Marte tyranni
Bisque decem (tantos habuit victoria cursus)
Colla catenati, tristes, & corpora manci
(Pollicibus manuúmque pedúmq; cuique resectis)
More canum, mensâ captabant subter eburnâ
Frustula, præbentes sævo spectacla tyranno.
Sera tamen vindicta Dei tam immania facta
Ulta est, & simili deprendit talio pœnâ.
Isacidum nam præda ducum, captivus in umbra
Desectos flevit digitos, mutilatáque membra,
Agnovitque deos, & numina justa piaclis.

CAP. 5.

Angelus Gideoni visus, epulisque humanitùs acceptus, igni è saxo (contactu baculi quem gerebat) educto, carnes appositas succendit.

ASt, ubi neglectâ jam relligione parentum,
Decidit ad ritus soboles Judæa profanos,
Et populi didicit mores, cùi mistus agebat,
Traditur Isacides vicinis præda, coactus
Ferre jugum victor quondam, dominósque subactos.
Prima sub Assyrio patientia, d'inde premebat
Rex Moabum, quos excepit promiscua turba
Gentium ab aurora veniens examine denso,

(More

(More Locustarum, tepidæ quando evocat auræ
Flatus, & alituum nimbis obducitur æther)
Depopulantur agros latè, messémque paratam
Diripiunt, miseros spe destituente colonos,
Non, nisi furtivis dapibus, clámque hoste fruentes.
Forte sub antiqua (fœlicis finibus Ophræ)
Ilice, trituram Gedeon Abiezare cretus
Clam Madianitis avidis faciebat in umbra.
Cùm Deus, aut aliquis comitum, geniísq; supernæ,
Adstitit, & magno venerans compellat honore;
Salve cura Deûm, vir maxime; nil tamen ille
Turbatus visu, nec grandia verba moratus,
Conqueritur potiùs, dictique expostulat alti
Quæ ratio, & sensus sit? si sit cura deorum,
Unde sibi & patriæ incumbat vis tanta malorum?
Multa patres (inquit) memorant de numine amico,
Grandibus & factis ad pinguis flumina Nili
Inque mari rubro, atq; Arabum per inhospita saxa:
Sed nunc cuncta premunt ævi benefacta prioris
Damna nova, & veterū obducunt monumenta malæ
Dixerat incautus qui sit, paulumq; morari *(res.*
Hospitii per jura, rogat, dum dona dapesque
Ædibus efferret modicas, ex hoste receptas,
Fortunæ hos tenuis nè dedignetur honores.
Annuit optatis juvenis, tacitusque sub umbrâ
Desidet, expectans reditum, donique paratum.
Ille domum interea miscens movet, atq; ministros
Advocat, & tenerum mactat, denudat & hædum,
(Quiq; modus fuerat dapibus properantior) undis
Excoquit, & qualo subitis cum panibus effert,
Apponitque viro, (nam humanâ in imagine viso.)
Sed nil ille epulas curat, nec fercula mensæ,
Effundi saxo super (hanc sibi deligit aram)
Præcipit, & baculo (dextrâ quam forte gerebat,
Nempe viatoris speciemque habitumque retentans)
Contigit, ac subitum saxo simul elicit ignem
Consumpsitque dapes, nidore sub æthera misso,
Ales & in tenuem ex oculis evanuit auram.

CAP. 6.

Gedeon duplice signo confirmatus in hostem prodit.

His licet attonitus visis, & numine divûm,
Attamen inde novâ firmatus ab æthere voce,
Concipit & vires, animúmque recolligit altum
Séque parat bello, patriámque ex hoste receptum.
Advocat auxilio socios, utrúmq; Manassem
Nephthaliámq; tribum, & legiones quatuor armat,
Ptæter quos Patriis Abiezare duxit ab oris.
Nec tamen hoc fidit numero, rogat ut Deus ultrà
Confirmet signo, geminumq; hic exigit omen.
Ecce jacens densum vellus mediâ areâ, abundet
Rore (inquit) reliquumq; solum nox humida siccet.
Annuit Omnipotens; & primâ luce revisens
Exprimit undantem madefacto è vellere Lympham,
Inquirens Gedeon, siccâ circum undique terrâ.
Vespere idem repetit signum, verùm ordine verso,
Indulgetque Deus dubio, nam vellere sicco
Area rore madet, gressusque lutosa retentat.
Hîc satis instructus visis, & numine certo,
Tendit in adversos: sed non Deus agmine tanto
Vincere vult, ne parta sibi victoria parvo
Sordeat, & laudem mortalis vendicet omnem.
Ergo delectum fieri jubet, agmine & omni
Secerni trepidos, aut cui mens fracta labascat.
Hîc numeri remanet pars tertia sola; nec illa
Reliquias adhibet Dominus, rursusque repurgat
Sorte novâ, cunctos ad ter centumque reducit,
Quot manibus lymphas fluvio exhausere cavatis
Isthinc more canum lambentes flumina linguâ.
Quippe Deus modico contentos diligit, uti
Inde monet rebus raptim queîscunque paratis,
(Militibus gaudet, famulis & talibus, alta
Quos non ingluvies, nec amor distentat habendi)
Traditur huic modicæ victoria maxima turmæ,

Non armis, nec parta manu; formidine solâ
Cœlitus incussâ, lychnis, sonituque tubarum
Circumeunte acie, atque hostem terrente fragore,
Collisum sibimet, propriis gladiisque cadentem,
Per densæ tenebras, inimicaque numina noctis.

CAP. 7.
Jephthæ filia immolata.

Hinc & ab Ammonio premitur gēs degener hoste
Atque oblita Dei: sed Jephthes vindicat exul
A Galeaditis patrias revocatus in oras,
Qui prius infestis quam rem tentaverit armis
Leniter aggreditur, missisque expostulat hoste
Legatis, bello quod sese invaserit ultro
Finibus Isacidas spolians, regnisque paternis.
Quod simul ac frustra fieri, nec verba movere
Ammonios videt, & nulli decedere juri,
Questus apud superos clades, hinc vota tonanti
Nuncupat, (auxilio si sit cœptumque secundet)
Mactatum quodcunque domus de limine primo
Occurret reduci, sacras hoc imbuet aras
Sanguine ait voveo; testis mihi Jupiter esto.
Sic hostes superâ fundit virtute, fugatque,
Et victrice redit præcinctus tempora lauro
Damnatus voti à superis, plausuque secundo
A plebe acceptus; vadat quocunque corollis
Certatim jactis, & honoribus obrutus ipsis,
Omnis eum sexus, fœlicem prædicat ætas.
Sed nulla humanis constantia gaudia rebus;
Namque invisuro charos à cæde penates
Hostili, aucturo sibi publica gaudia privis,
Ecce chorum ducens, crines & fronde revincta
Unica quæ tantas servabat filia sedes
Ædibus occurrit (virgo comitante coronâ
Virgineâ, Musam cantuque lyraque cientes)
Lætitiam pulcbro fundebat ab ore, rubori
Certantem, socias præcessit (ut ordine) formâ,

Haud secus ac primo cùm Lucifer exit Eoo
Offuscatque chorum stellarum, & languida signa.
Quam simul ac vidit, casu concussus acerbo,
Accipit exultim venientem tristis, & ore
Dejecto aversus, gemitu vix talia reddens.
Ab incauta meos contristas guata triumphos,
Gaudia das luctu; diro servatus ab hoste
Hunc venio in casum, nunc altè vulnus adactum.
Namque emissa meis vox non revocanda labellis
Meque tuumque caput sacrat, Dirisque revincit
Ni faciam, sanguis vesterque perimbuat aram.
Palluit ad vocem virgo: at reverentia voti
Atque patris vicit, vitæque repressit amorem.
Ergo sui tantam jussit deponere curam,
Reddere vota Deo, peragi promissaque sacra,
Publica privato redimantur gaudia luctu,
Se non defugere; at concedi tempus inane
(Donec Luna suum renovata bis impleat orbem)
Virgo petit, liceat sociis, æqualis & ævi
Virginibus simul, in vicinis montibus, alto
Insuetum mærori animum dissolvere luctu,
In lachrymas, & quæ muliebris amat dolor, atque
Præreptum deflere torum sibi, spemque nepotum.
(Hoc petit, hæc summa est, hæc sola receptio voti)
Ad mæstum rediit, sacrorum certa, parentem,
Præbuit & tenerum cultris interrita collum
Atque aram aversis madefecit sanguine divis.
Non me equidem latet hîc alios affingere sensum
Diversum dictis, ad mentem quisque trahentes
Scripta suam, & veterii censentes gesta; per æquum
Fasque piumque sibi: fuerint quum tempora, resque
Lev. 18 *Diversæ, & mores, vita atque eductio Jephthæ;*
21. & *Nec nisi diversis vetita est hæc victima divis.*
cap. 20. *Quid? quod & ingentes luctus, lamentaq; in ævum*
2. *Virginibus repetita, monent spem non modo læti*
Præcisam thalami, nec virginitatis honorem
Sacratum superis, quum non per tempora Lunæ
Bina modo, ast cunctos ad fata novissima menses

Hic

Hoc damni deflesse queat, post vota superstes
Et sacrata Deo, lucis spoliata nec usu.
Hæc illa Iphigena est Graiis celebrata Camœnis,
Aulide quam memorant mactatam: at amore Dianæ
Supposita fatum cervâ fugisse propinquum,
Et gentile sacrum, certam nidoribus aram.

CAP. 8.

Samsonis nativitas & stupendæ vires, examen, apum è cadavere leonis natũ, ænigmati Philistæis luctuoso occasionem dedit.

INde Philistæis Judæa subacta tyrannis
Paruit, & meritas superis dedit impia pœnas,
Neglecti cultus, & relligionis avorum.
Sed simul ac superûm lachrymis placaverat iram,
Et conversa Deum patrium, legésq; recepit,
Continuò ætheriis ales demittitur oris,
Qui superûm promittat opem, certúmq; subactis
Vindicem, & insuetis reprimendum viribus hostẽ.
Stirpis erat quidam Manoas Daniticæ, at omnis
Expers atq; exspes sobolis, limenq; senectæ
Conjuge cum sterili jam jam ingressurus, agebat.
Nuncius huic aliquis divum bis ab æthere missus,
Admonet, abstineat conjunx (dum concipit alvo
Munere concessam superum sobolemq; ducemq;
Isacidis) sicerâ, & dono quocunq; Lyæi,
Gaudeat & solis prægnans abstemia lymphis.
Quippe sacrum Domino fœtum, vulgiq; profani
Moribus amotum (longos intonsus in annos
Qui maneat) nasci, nec Bacchi pocula nosse.
Hæc tibi Relligio, Lex hæc sit tradita nato.
Dixit, & in medio sacri nidore parati,
(Namq; super læto mactabat uterq; parentum
Nuncio, evangelia hæc supero poscente ministro)
Avolat, in tenues per fumum evanidus, auras.
Hîc illi attoniti spectri novitate, deumq;
Esse rati, nulli quem fas impune videre,

Ora tegunt, temerata putant nam numina visu;
Demum concipiunt dicti spem, mente receptâ,
Nec frustra fuerant, uterúsq; tumescere sensim
Cœpit, & insueto matri tremere ilia motu.
Quæ simul atq; manum Lucinæ est passa supremā
Edidit Herculeas superantem robore vires,
Ignota puerum virtutis, numine plenum,
Prodidit ut certis crescenti corpore signis.
Prima puer, (positis Zorā inter & Estola castris)
Virium, opisq; suæ signa haud obscura dedisse
Fertur, Danitis tyro popularibus ingens;
Inde Philistæis dedit hæc occasio forsan
Infensum, patrios robur convertere in hostes;
Namq; vagus ludos latè, & spectacla secutus,
Quæq; animus juvenilis amat, devenit ad urbem
Timnathiam, æquali grege concomitante suorum.
Hic alienigenas inter conspecta puellas
Una dedit vulnus, percussum pectus amore
Saucius ad patrias, & telum detulit ædes,
Infixum venis, nec queis medicabile verbis;
Non stirps, relligio diversa, innatáq; utriq;
Genti odia, avertere animum, sic ardet in illâ,
Niq; datur conjunx (sola hæc medicina furoris)
Occidat, & tristes orbentur prole parentes.
Sic itáq; obtinuit, victumq; ad, deniq; traxit
Vota patrem, junctiq; invisunt limen amatæ.
Quò dum deproperat, deflectens calle parumper
In vineta puer, catulus se fortè leonis
Obtulit, infesto rugítq; in pabula rictu,
Occupat insultum juvenis, maláq; prehensum
Utráq; ad pectus diduxit, & ilia, ruptis
Visceribus, retegens spirantia funditus exta,
Non secus ac hædum divellat si popa sectum,
Dilaniétq; sacris, aut Pastor dividat agnum.
Hujus apes densæ (quod tu mirere) cadaver
Insedere, aut ex ipso sunt vulnere natæ,
Atráq; mellifluis implent præcordia cellis.
Qualis Aristæi fertur (seu fabula seu res

Vera fuit,) cunctos hinc inde obstructa meatus
Corporis, innumero scatuisse per ilia fœtu
Bucula, & amissi mellis reparasse liquorem.
Unde Philistæis ænigma movet paranymphis,
De dulci nato è forti, victúq; vorace:
Quod retegens sponsæ precibus, sensúmq; repostum
Exponens, luit ingenti tam uxorius acta
Pignore, ter denos callenti pactus amictus,
Sindone ab, interulâq; togas ad palliáq; ipsa:
Quæ tot ab occisis referens detracta Philistis.
Divisit spolia in juvenes, verum unde tulisset
Ignaros, ditésq; bonis & veste suorum.
Prima Philisthæo, data sic fuit ansa cruore
Dissidii, & patrios vindicta occœpit in hostes,
Quæ crevit ratione novâ; nam infensus amicæ
Ob detecta sui secreta recondita gryphi,
Manoides patrias Timnâ remearat ad oras;
Discessisse socer reputans, dedit alteri habendam
Conjugem, & haud motos generi frustravit amores.
Ergo vindictam meditans, jam crimine justo,
Vicinos populatur agros, messemq; paratam
Ignibus absumit, prærepta conjugis irâ.
Namq; pedum motu celer, ipse ut robore præstans,
Prenderat innumeras vulpes venator in agris,
Quas binas caudis medio titione ligatas
Immisit segeti, quâ cum fœnoq; oleisq;
Vitibus & gravibus correpta, incendia latè
Edidit, & totos stragem dat flamma per agros.
Absumpta est messis, stridet vindemia, tecta
Ipsáq; cum prælis, & acervis horrea flagrant.
Quam cladem in socero, natâq; novoq; marito
Ulturi, incendere domum, flammáq; crepante
Vicini, Dominis simul absumpsere penates.
Nec tamen ista satis Samsoni injuria fecit
Aut infensa truci placantur corda piaclo:
Ardet in ultores, vindictámq; exigit unam
Quâ factâ irarum sperat subsidere fluctum;
Nam quoscunq; sibi fors, aut occasio misit

Obviam,

Obviam, in obstantes calce irruit, & femur, atq;
Alterutram movit coxam, gressusq; resolvit
Luxatos, genti infligens plagámq; notámq;
Et miseranda suis linquens spectacula claudos.

CAP. 9.

Maxillâ asini (quâ stragem ingentem ediderat) fons enascitur.

INde sibi aërium delegit sedibus Etam
Rupis inaccessæ collem; quò tota coacta
Gens Dagonicolûm, positis obsidere castris
Monte parat juvenem, auxilióq; accersit Judam
(Expugnare volens monstrum popularibus armis)
Qui ter mille viros ducens, ascendit in arcem,
Seq; jubet dedat; Dominos sic quippe Philistos
Poscere, non aliâ placandos Lege subactis.
Ergo pro patriâ patiatur vincula, seq;
Unum pro multis tradi caput; hoc sibi palmæ
Duceret, hostiles vel morte avertere turmas.
Queis (licet ipse sui sat roboris, atq; locorum
Conscius) haud tamen invitas ad vincula palmas
Tradidit, Isacidis sic gratificatus amicis.
Qui simul ac hostis vinctus perductus ad ora
Constitit, & turbam magno clamore frementem
Vidit in adversum, correptus numine noto
Emicuit subitò, & ruptis per brachia vinclis
(Linea ceu ambustis dissultat cordula filis)
Maxillam arripuit, (quæ forte jacebat) asellæ
Albentem, & medios vibrans ruit acer in hostes,
Undiq; contundens, & crebro vulnere trudens
Hûc, illûc; quácunq; magis confertus agebat,
Se, cuneus, dabat ingeminans, aciemq; per æquor
Præcipitem, cerebro conspergens cuncta cruento.
Hac cecidere viri mille, & nec lassa cadebat
Dextera, nec tantos dissultat mala per ictus
Futilis, aut crebro defecit vulnere mucro,
Arma licet, galeasq; frequens diverberet; ictus

Perdurat tamen, & vires à vulnere sumit.
Sola sitis (quassat dum creber anhelitus ora)
Torrebat fauces, cogens absistere pugnâ,
Atque orare Deum, sibi nè victoria parta
Excideret manibus, sitis aut permitteret hosti.
Audiit orantem Deus, atque undante molarem
Fonte aperit, mediæ qui fixus in ordine malæ.
Quo licèt attonitus viso, tamen arripit ore
Saltantes latices (tanto consumitur æstu)
Haurit, & impuro puras ex osse scatebras;
Reddita queîs lux est oculis, & pectora robur
Accipiunt; ac missâ manu sua projicit arma,
Munere sat defuncta suo: quæ terra madescens
Ut cepit, fissúmque solum maxillâ penetrat,
Continuò fibris telluri increvit adactis,
Et similem retinet speciem: vel terra scatebras
Hausit ab osse cavo, & venæ prædivitis uber;
Unde loco fixum mansit per secula nomen
Maxillæ, formámque refert, factúmque remonstrat.

CAP. 10.

Gazæ obsessus, portas cum cardine & postibus asportat, verùm postea tonsus, & in manus hostium veniens, per triennium in carcere molit, unde in spectaculum ludúmque in Dagonis templum eductus; eo subruto vires receptas in morte, probat.

Hinc nova dum thalami sectatur gaudia Samsô
Incidit in pulchram Gazæ prædivitis urbem,
(Scilicet externas fato sic usque trahente
Ad Veneres juvenem, quò nempe occasio in hostes
Esset ab occursu, rerum, bellique gerendi.)
Nuncius adventus totam conciverat urbem
Excubiis (portas firmo custode tenebant,
Luce obsessuri) mediâ de nocte sed ille
Egreditur, portásque ipsas à cardine vellens
Poste simul gemino, & ferratis vectibus, omnes

Tollit in aërium montem (quem suspcit Hebron
E regione sui) posuitque in rupe trophæum.
Inde Sorectanam rediens dilexit amicam,
Delila cui nomen, cujus vexatus in horas
Illecebris, alias amisit corpore vires;
Quippe animum pandens, arcanam roboris alti
Detexit causam, voti mysteria sacri,
Hactenus intonsis fuerant quæ nexa capellis:
Queîs positis, toto mutatus corpore, sensit
Discessisse Deum, robúrque evanidum, & altas
Defecisse palàm labefacto in corpore vires.
Cúmque suo vellet se se de more ciere,
Excussisque toris abrumpere vincula palmis,
Deprensum ingemuit se, prædáque factus iniquis
Hostibus, exstincto multatus lumine utróque est,
Carceris in squallore molam versare coactus
Mancipii in morem, vel equi; cûi flagra fatigant
Tergora, perpetuis redeunti ad verbera gyris.
Atque ibi ter magnum Phœbus dum transeat orbē
Languit, amissæ mœrens dispendia lucis.
Interea festum rediens solenne Dagonis,
Et gentile sacrum, proceres conciverat omnes,
Et populum, denso complent sacraria cœtu;
Quin etiam exterius, faníque in culmine summo
Perque fores, patulis spectabat turba fenestris;
Cúmque satis divis indultum, & sacra peracta,
Lætitiâ, ludóque diem celebrare frequentes
Incipiunt vinctúmque jubent è carcere duci
Samsonem, ut læto pascantur lumina visu,
Illudántque inopi, vinclis & lumine capto.
Æde duæ fuerant mediâ, testudine subter
Firmantes tectum, multóque decore columnæ
Insignes; has inter inops, & lumine cassus
Ludibrium stabat vulgi, regúmque trophæum.
Postquam multa miser passus, nil reddere quivit
Præterquam gemitus imo de pectore ductos,
Demùm dejectos animos (quantúmque cavatis
Luminibus potuit) vultus ad sidera tollens,

Has tacitè mussans misit cum murmure voces.
Jupiter omnipotens, inopum solator & ultor,
Adspice quæ patior, mihiq; hanc concede supremam
Gratiam, ut enervi redeant in corpore vires
Hac vice, crudelem valeam dum ulciscier hostem,
Commoriárque simul; non hac ratione recuso
Vindictam. Hæc fatus; sibi clã per membra vigorem
Diffusum, virésque novas in pectora sensit,
Séque movens, totis nitens complectitur ulnis,
Hinc átq; hinc geminã fundamine utroq; columnã
Succutiens, clamórque unà est auditus ab ore,
Hostibus immoriar; sonitùs hinc, murmur et aures
Occupat illapsu, ac tectum ruit omne fragore,
Contrivítque Deos unà cum altaribus ipsos,
Et populum & proceres (sexus & conditionis
Communi tumulo) pluresque in morte perempti,
(Manibus infertæ missi) quàm tempore vitæ
Et per bis senos, patriam queîs rexerat, annos.

CAP. XI.

Philistæos arca fœderis miserè affligit (hemorroidibus, & muribus vastatoribus) qui remissâ arcâ cum donis cessarunt.

SIc ubi concessit fato insuperabile robur
Samsonis, rectore velut viduata carina
Huc, illuc fluitat, saxis & syrtibus hærens;
Haud secus Isacidum respublica cassa regente
In scelus omne ruit præceps; hinc, more negato
Sacra profanata, & passim irrepsere penates,
Pro vero simulachra Deo: illinc dira libido
Corrumpens mores, divina humanáque calcat.
Testis Ebrææá Michæ de stirpe, sacrator
Ipse sibi mystæ, testis Benjamnia clades
Ulta nefas Gibeæ, fœdæque libidinis ignes.
Nullus in Isacidis tunc Rex aut Sceptra, potestas
Nulla recedentes à recti calle coercens:
Nomen inane modò est dicentis jura, sed absque

Viribus, imperióque; (quibus sine nil nisi corpus
Absque animâ leges, & inutilis umbra regentis.
Quin etiam fasces ipsis lictore carentes
Atque satellitio, fracti, consúlque repulsus't.)
Hîc etiam tutore carens, obnoxia facta est
Hostibus Isacidum gens, & proposta Philisto
Ut deserta Deo, & superûm nudata favore
Qui monumenta sui, & pignus permisit habenda
Hostibus, & manibus mysteria rapta profanis.
Sed tamen haud illos etiam sic passus in ultos,
Aut impune tulit temerata à milite sacrâ
Barbarus; hostiles quacúnque attingeret oras
Arca sacra, afflixit statuas, & numina vana,
Atque viros diris cruciatibus; hulcere fœdo
Et papulis inter nates, & podice circum
Excitis, calido suffusis sanguine & igni.
Torrebátque viros pestis, clamore fatigant
Æthera luctisono. Morboque accessit edax mus
Omnia corrodens, & terras agmine vastans,
Insolitæ molis, formæque: ergo omnia vatum
Atque sacerdotum gens convocat agmina quæque,
Scitatum causas tantorum hinc indè malorum.
Ast illi infensum placari numen Hebræum
Ore jubent uno, nec contrà tendere vanæ
More Phari, extremâ luerent nè crimina pœnâ;
Donáq; conferri (perfectis ritè piaclis)
Pro numero regum, quorum vastaverat urbes
Pestis, ad effigies muris: tumidæque mariscæ,
Auria quina, Deum quæ placatura prementem.
Námque dolent spoliis auctos se talibus hostes,
Exoptántque suas nunquam venisset ad oras
Arcula, perpetuo fani conclusa recessu.
Ergò novum plaustrum faciunt, arcámque tropha
Muneribúsque ducum, votis & plebis onustam
Imponunt, junctísque trabi dant in sua vaccis,
Matre utráque, nives superante albedine puras.
Quêis vitulus stabulis depulsus utérque sub altis
Balatu sistebat iter, tamen utraque pergit

N

Non revocata, gradum tollens ignota per arva
Nec duce, nec quoquam ſtimulis urgente juvencas,
Bethſhemum ſubeunt, Iſaaci in finibus urbem,
Nec quà deflectunt, tantùm mugitibus altis
Teſtatæ ſtabuli, deſideriumq́ relictæ
Prolis, ad impoſitum jungunt ſua robora plauſtrum,
Incertamq́ viam certæ. Quò barbarus hoſtis
Edidicit ſigno, non fortè, at numine divûm
Tot mala ſe paſſos. Illinc deſorbuit æſtus
Podicibus, mureſq́ domos liquere piatas.

CAP. XII.

Saulus Rex divinitus creatus, Heroicos accipit animos, ab occurſu vatum fatidico ſpiritu afflatur, quo poſtea ſpoliatus & a Furiis ſubinde agitatus, animíq; ob prementes Philiſtæos anxius, Samuelem ab inferis excitatum conſulit.

INterea Regem populus depoſcit Hebræus
Sceptrigerumq́ dari, reliquarum more per orbē
Gentium, ab aſſiduo qui ſe defenderet hoſte.
Accipit hic Saulum divino numine primùm,
Mox quoq́ ſorte datum, fugientemq́ urget honore.
Hunc alios inter præſtantem corpore, celſis
Exſtantemq́ humeris, internis dotibus auxit
Omnipotens addens animos, & Regia corda.
Quæ quoties res, aut occaſio certa popoſcit
Emicuere, novis auctorem & viribus ædunt.
Teſtis in Ammonios incurſus, Amalechidaſq́
Succeſſu tanto, teſteſq́ repreſſa Philiſtûm
Præſidia, haud aliis Jonathæ quam principis armis,
Inſtructi donis patriis, & numine eodem.
Quin & fatidicam dedit illi in pectora mentem,
Arcaniq́ Deus gnaram, ſenſuſq́ repoſiti.
Nempè choro vatum ſi quandò occurreret, ille
Continuò arreptus, divinum ferre nequibat

Spiritum,

Spiritum, & afflatus, similis dat signa furoris
Atque novus sacro numeratur in ordine vates.
Quem quoque post varios averso numine casus
Amisit pariter, mutataque pectora sensit
(Si modo sensibilis furor est, nec adepta viro mens)
Namque à Tartareis excita Megæra tenebris.
Turbatam subiit mentem, facibúsque furorem
Movit, in adstantes qui sæpe erupit amicos,
Nunc generum telo, nunc natum invadit, in illum
Immittens sævum (diri instrumenta furoris)
Militem, ad ora trabant sua, qui, vel lectulo in ipso
Confodiant ægrum, natæque amplexibus arctis.
Quin etiam haud ipsis sacrorum sæva ministris
Abstinet arma, trucem jubet octoginta Doegum
Irruere in sacra redimitos tempora vittâ
Cum sobole, & puras conspergere sanguine vestes.
Hinc Furiis actus, vel mente mali sibi dudum
Consciâ, & auxiliis superis ac numine nudus,
Infernas implorat opes, & sedibus imis
Consulit excitos Manes, animasque silentum.
Sanctus erat superis vates genetricis ab ipso
Ubere (cui magnam dederat, gnaramque futuri
Omnipotens mentem) divini conscius omnis
Consilii Samuel, regemque creaverat illum,
Quamvis degenerem nunc, & pejora secutum;
Hunc petit exciri tacito sibi carmine Saulus,
Conducitque magam precio; quæ crine soluto,
Unum exuta pedem vinclis, scapulamque sinistram,
Velleris & pulli discerpens mordicus agnam
Circum altare jicit, natat addita fossa cruore,
Procumbensque genu; bis terræ immurmurat ore,
Infandum, nunc rauca sonans, nunc nomine numen
Ignoto vocitans, peregrinaque verba susurrat.
Interea tellus tremebunda dehiscit, in auras
Emittitque animas, (seu vero corpore, sive
Indutas specie, fallentque lumina larvâ)
Inter quas hirtâ Samuel conscendit abollâ
(Qualis erat vivo) circundatus, inque volutus

Canitie,

Canitie, & dio frontis venerandus honore.
Protinus agnovit vatem Rex, atq; salutat,
Admissus sacris: sed factum expostulat ille,
Injectam quæstus remoram turbamq; quieti,
Qui jam compositus (rebus mortalium & atris
Exemptus curis) optata silentia carpsit,
Et responsa ferens malè grata, ac mæsta futura,
Nuncia postridiè cladis, (quà Saulus & ipse
Cum natis acieq; cadant, terramq; subirent
Manibus accensi, nec quid nisi pulvis & umbræ)
Attonitum dicto Regem prostravit humi, tot
Confectum curis, gelidumq; à morte propinquâ.
Hic datur ingeniis quærendo campus apertus,
Unde sit in sanctas animas concessa potestas
Tanta Magis, aut in superûm res, fataq; vires?
(Nã verũ, non spectra virum, sacra pagina dictat,
Nomine designans toties Samuelis, ab umbris
Excitum, responsa quoq; haud fallacia dantem
Siracides memorat, veri non futilis author, Ecclesiastici, c. 46. v. 23.
Ut taceam cunctos, per tot jam secla magistros
Unanimes in eo) facti quæ causa sit ergo,
Et ratio? magicæ cur sic permiserit arti
Omnipotens animas, transcriptaq; nomina cœlo?
Scilicet ut sceleri permissa licentia sæve
In caput innocuum grassatur, dis quoq; charum,
(Nec tamen invitis superis sanctisve subactis
Tartareo Regi) sic corpora sancta, cinisq;
Sanctorum (quidniq; animæ? cùm præmia nondum
Attigerint, justæ completaq; tempora palmæ)
Vim patitur plerumq;, sepulchro ejectus in undas,
Nunc dispersus humo, quamvis custodia firma
Invigilet superûm, cœlesti in sorte locandis
Quando novos lectus pulvis coalescet in artus.
Quin etiam ad magicas artes, & carmina abuti
Nomine sæpe suo patitur Deus, atq; potente
Numine, & occultas etiam concurrere vires,
(Queis sine nil possint, quales scelerique ministrat)
Sive reos faciens magis, atq; audentibus addens

Crimen

Crimen ab indulto: dubiis seu forte probandis;
Num se præstigiis, sacrisq; potentibus, ipso
Abduci fortasse sinant, dare nomen & Orco.

CAP XIII.

Saulus, secundum Samuelis defuncti vaticinium, in acie cadit, quem David lessu deflet, 2 Sam. 1.

JAmq; Philistæis (nec Dis, nec viribus æquis)
Concurrens Saulus, complevit fata, silentum
Agminibus mistus, turbaq; coactus Averna,
Tergeminis natis cùm, multa cæde popelli.
Quem David (externis quamvis tunc exul in oris
Sauli odiis) simul ac accepit nuncium, & aures
Implevit cita fama mali; non Regna moratus
Morte sui soceri vacua, aut sibi debita Sceptra
Mœret, & in tristem solvit sua pectora lessum.
O decus, O Saraël, vestris in montibus ille
Ille jacet moriens, & humum semel ore momordit.
Ergóne robusti (credam?) cecidere potentes
Tantaq; nobilitas? nè, nè, per mœnia Gatha
Rumor eat, lætam faciat ne nuncius urbem
Ascalonum, sibi nè placeat, victricia jactans
Barbarus arma, choros ducatq; Philista triumphās.
Gilboïci montes, infaustaq; lesqua, per ævum
Nullus ad ætheriis imber vos imbuat oris,
Irroretve Eos, sitientia nec juga tingat;
Nullus de vobis fructus hominive Deóve
Surgat, & arentes messis non vestiat agros.
Quippe jugis vestris abjectus concidit exors
Magnatum clypeus, sacratus Saulis & ensis,
Plebeioq; modò ruerant regalia jura.
Non unquam hostili redierunt absq; cruore
Tela manu Jonathæ missa, aut abdomine sicca.
Nec tabo intactum vagina recondidit ensem
Saulis: & immunes vidisti Gilboa solus.
Par fuerant vivi Jonathas cum Saule suave

Dulceq;

Dulceq́ compositum, nec mors divulserat ipsa.
Illi vel volucres aquilas prævertere cursu
Pectoris infractoq́ leones robore sueti.
Flete patrem vestrum, memores attollite lessum
Isacidûm natæ, Sauli; vos vestiit ille
Purpura, & omnigenæ dederat tibi fercula mensæ,
Et cum deliciis, distincta monilia gemmis.
Primus inaurato dederat diffulgere amictu.
Heu quânam ratione ducum cecidere suprema
Robora, & in medio Mavortia pectora campo?
Inq́ tuis Jonatha cadis, heu, celcisq́ supinus
Collibus, atq́ jaces. Pro te dulcissime frater,
Te super angor, habet dolor usq́ recens, ut amorem
Usq́ mei recolo, & teneram in discrimine curam
O quàm blandus eras mihi? castæ haud tanta puellæ
Cura viri, tenerum non sic ardebat alumnum
Aut nutrix, aut chara parens, miraculum amoris.
Heu qui tam validis fortes cecidere sub armis?

CAP. 14.

Davidem sacro inunctum oleo, spiritus virésque ingentes arripiunt; quibus leonem & ursum, denúmque immanem Goliam inermis confecit.

SPiritus ingrato simul ac à Saule recessit
Divinus, dotesq́ novæ liquere regentem;
Davidis insedit pectus succenturiati,
Ætheriusq́ rapit genius, non suetaq́ virtus.
Quâ (dum pastor oves sequitur per tesqua vagantes
Pusio, sacrato caput at contactus olivo,
Et Rex Isacidis ut designatus ab astris)
Confecit vastum, non telo aut fuste leonem:
(Sed dextrâ apprendens, prædamq́ è fauce revellēs
Infesti) nec non horrentem crinibus ursum;
Stravit & immanem Goliam de stirpe Gigantum
Viribus, ac armis fretum; qui corpore senos
Procero excedens cubitos, hastile gerebat

Texteris par mole jugo, (quod licia telæ
Involvunt) grandi præfixâ cuspide, ferri
Appendente gravis, quantum non vomis aratri,
Vix rostrum navis (vastis vis tanta lacertis,
Et dextræ suberat) lorica ex ære rigebat
Squāmea, (pœne caput decies grave pondere vincens
Lanceæ) & in latos clypeum rejecerat armos;
(Munito thorace satis) concluserat ære
Crura sibi, & frontem galeâ turriverat altam.
Tollere humo quam nemo queat de gente virorum
Quas fert terra modò, levis hanc tamen ille gerebat
Vertice, & ad nutus volitabat crista tremendos.
Hunc ita munitum (præeunte ad tela ferenda
Armigero) est ausus contra procedere inermis
Pastor, & haud aliis usus quam funditor armis.
Quem simul ac vidit; ludum meditetur, an hostē,
Miratus Golias, tamen in sua se ferus arma
Colligit, adductâ venienti fronte minatus.
Segnius haud, juvenis contrà movet, oraq; (quāto
Accedit proprius magè deterrentia) temnens,
Pastorale quatit baculum, tergoq; reductam
Excutiens peram, lectum depromit (ad unguem
Tornatum) lapidem, quem multo flumine torrens
Volvendo, multis per secla rotaverat annis.
Injectum fundæq; caput circum ter habenâ
Adductâ versans, adversa Gigantis in ora
Egit, & Æoliis, & fulminis ocyus alis.
Ille volans, capiti (quâ cassis fronte reducta
Tollitur in cristam, retegitq;, supercilia inter,
Suturam capitis, frontisq; ostendit honorem)
Incidit, & calva penitus consedit apertâ,
Diffissaq; premens cerebrum, sensumq; animamq;
Eripuit simul, extendens tellure supinum.
Volvitur ille vomens nigram de naribus undam
Commistam cerebro, & morienti lumine sensit
Extrahi, & extracto gladio sibi colla recidi,
(Nec moles, aut arma juvant, non armiger adstans)
Diripit arma puer, truncumq; reliquit arena.

Scilicet

Scilicet hic alia vires, humanaq́ plusquam
Robora, & emissam fundâ suscepit ab ipsa
Omnipotens glandem, frontiq́ impegit acutam.
Hic mihi terrigenas dejectos fulmine fratres
Græcia commemoret, lectorumq́ attonet aures
Fabula; defensor minor hic Jove, gloria tanto
Major, ab humanis quòd Phlegra æquata sit armis.

CAP. 15.

Davidem maximam ætatis partem, Deo placentem, dira libido transversum rapit, quæ nati Ammonis incesta libidine, totiúsque domus Regiæ confusione punitur.

Numinis hic artes, jus, fasq́ per omne secutus
Hactenus, & superis charus, nec labe notatus,
Mutatur subitò, stimulante libidine dirâ.
Quæ primùm raptus, mox cædẽ, & sanguinis haustũ
Innocui suasit. Quod quâ ratione dolendum
Acciderit, repetam, causasq́ ab origine pandam.
Viderat hunc tanto superûm florere favore,
Invidiæq́ furens facibus Dis, convocat Orci
Numina, quotq́ malos Genios tellure vagantes
Nox tegit, & densis sub nubibus æther obumbrat.
Omnis ei paret turba hæc; seu Naiadas illos,
Seu Faunos, Satyrosq́ & monticolas Silvanos,
(Et quæ per dumos visuntur Orëades, aut quis
Se vidisse putat) seu Phorcum & Nerea dicas
Tritonasq́ vagos, nymphasq́ per æquora nantes.
Quos ubi concitos attentis stare videbat
Auribus, & promptos spondere ad jussa ministros,
Continuò invectus, superûm sugillat honorem,
Et malè profusos genus in mortale favores.
In quibus, Isacidûm rectori nomen habere
Quale datum? cœlo designat Jupiter ultrò:
Nos patriâ extorres, soli sub nocte profundâ
Æternùm jaceamus, iis graviora timentes.

Non ita; nam quamvis summorint fata Tonantem
Noxâ omni, superosq; nequit mea perdere virtus:
Attamen humanas mortalia pectora vires
Experiar, vitii nequaquam immunia, & iræ.
Nec res difficilis; primi sensere parentes
Vulnera, nec credo, major Jessæa propago est.
Vix ea fatus erat, medio cùm ex agmine prodit,
Virginis ora gerens, varii sed pectoris, audax
Et quæ virgineum posuit cum fronte ruborem
Dira Libido (vocat sic illam turba sororum)
Nuda genu, & fusis per colla decora capillis.
Hæc inter Furias gratissima, rebus agundis
Aptior, haud ullis à vertice sibilat hydris,
Nullæ fronte minæ: pater hûic quantum ore valebat
Arrisit tetrico, natarumq; optima, dixit
Macta, patrem meritis nunquam frustrata vocantẽ.
Hæc, simul effatis, velocibus excita pennis
Avolat, & superas, rupta tellure, sub auras
Ingreditur, tetro quà se diffundit odore
Sulphureus lacus (antiquæ monumenta ruinæ
Fecerat in Sodomis quam Dira Libido perustis)
Hinc Solymas arces, & Regia tecta subintrat
Davidis. Atq; illum reperit non lenta foventem
Otia, at Ammonii volventem pondera belli.
Ergo aggressura, in Jonadabi vertitur ora,
(Germano Regis geniti, atq; è fratre nepotis,
Cûi dolus, & partes pectus versatile in omnes)
Atq; ita demulcens, Regem prope corripit ægrum.
Quid tantum tetricis ultrò juvat addere curis,
Et cruciare animum? præsens, absensq; molestus
Ipse tibi es pariter, vanos fingendo timores.
Duplice devicti pugnâ, vix urbe tuentur
Ammonii rerum summam, quoq; mœnia nutant,
Atq; magis mentes, quas bellica machina pulsat.
Mitte duci reliquum curæ; tibi gaudia justa
Permittens, & quæ Deus ac fortuna ministrant.
Sic ait, & thalamo paulum levat, inde per altas
Subvectum scalas, tecti ad fastigia ducit

(Liberiore

(Liberiore frui dùm cœlo invitat, & auras
Captatum, Occiduo paulùm jam Sole tepentes)
Unde procul totam patuit prospectus in urbem.
Hinc dum cuncta vago perlustrat lumine, fortè
(Nec fors illa fuit, sed fatum & dæmonis artes)
Conspicit umbrosi secretam mœnibus horti
Fœminam, ut exutos relevabat fontibus artus,
Moris enim prisci fuerat, sic jura jubebant,
Flumine, & à partu reduces, & mensibus, usq;
Ablui, & à (vitio quasi) fœda labe piari.
Hoc meditans, umbris se se concluserat horti
Tuta satis mulier: nî immissâ luce, latentem
Dira retexisset, vel languescentia longè
Spectanti, accensis acuisset lumina flammis.
Quicquid erat, visam laudat Rex, Dira Libido
Miratur, qualisq; ait, est, si cominus adsit?
Corripitur flammâ Rex, & sub pectore vulnus
Accipit, haud ullam dans respirando quietem;
Flagitat, inquirit, quæ sit, gnarusq; fideli
Conjunctam thalamo, (non parvæ munere functo
Militiæ, Hetthæi generis, sed transvenæ) Urijæ:
(Relligione patrum, patriaq; suisq; relictis
Hæserat extorri per cuncta pericula Regi,
Et tunc longinquis Davidi bellabat in oris)
Attamen hûic tantoq; viro, per totq; probato
Officia, eripere, aut (violato jure cubilis)
Conjuge pro castâ supponere adulteram, iniquus
Haud dubitat. Vocat ad se se, donisq; fatigat,
Speq; ampla, donec pertraxerit ad sua vota.
Quëis simul ac factum satis (exaturata libido
Compotem habet voti si quem) dimittit onustam
In sua: sed sceleris non sic dimissio facta est;
Truditur usq; novo. David celaret ut urbem
Crimen adulterii, bello revocavit Urijam
Inq; domum, sperans prægnanti posse coïre
Longo à Marte virum reducem, fœtumq; marito
Accenseri, in idem pertracto fraude cubile.
Sed Deus ut scelerum non fautor, conscius esse

Noluit illiciti, & factum celare, secundans
Consilium Regis; nec adiri sivit amatam
Uxoremve, domumve (licet sat chara marito
Ipsa foret, facti nec vir, nec conscius artis)
Quin etiam (Regni tanto in discrimine Urijæ
Tanta fuit pietas, tantùm respublica civem
Afficit, & Regis plus ipso cura remordet)
Noluit indulgere animo, licitisq; hymenæis.
Ergo virum poclis, & læto munere Bacchi
Tentat, ut ignarum thalamo saltem implicet aucto.
Sed nihil invito sperandum numine; Bacchus
Aversatus idem, non obsequitur, neq; votis
Inservit Regis, neutrâ jam fraude, secundis.
Ergo mentis inops, metuensq; infamiæ adulter,
Vertitur ad diros concussi mente furores,
(Eloquar? an sileam? Vah, quid non dira libido
Suaseris? & qualem trahit ista tragœdia finem?)
Tollere, quē fraus non capiat; tamen admonet horror
Urbe procul, medio bellantumq; agmine tolli;
Quò, fatum commune premat, nec fraude putetur
Vir cecidisse malâ, meritus meliora, nec hosti
Objici, & immanes obsessi explere furores.
Multa sed impediūt, & cuncta incerta relinquunt;
Quid si forte viri virtute, & numine justo
Effugiat fatum? quid? quod non pauca (receptu
Si canitur, miserum, duxq; in discrimine linquat)
Sors eadem tollet capita, & comitentur ad umbras
Fortia multa virûm subeuntia corpora mortem.
Omnia sed vicit Regis violentia, morti
Addicens miserum, scriptis sua fata ferentem
(Ad ducē in Ammonidûm Rabbā tūc bella geren-
Cum tabulis mittit feralibus, omnis & artis (tem,
Consiliiq; mali, & qualis sibi scena paretur
Ignarum penitus. Dux Regia jussa secutus,
Prostituit miserum multâ cum cæde suorum,
Inq; acie linquens, ipsis sub mœnibus hostis
Terga dat, insuetumq; fugæ post se trahit agmen.
(Tanta fuit summi in Joabo reverentia jussi)

Quodq;

Quodq; magis stupeas in Davide, juris & æqui
Tanto authore prius, (qui Sauli fata cadentis
Cum tantis lachrymis, planctuq; acceperat) ista
Auribus, immotoq; hausit mala nuncia vultu,
Et prohibet turbare ducem: ne te levis (inquit)
Commoveat clades, Mars omnibus æquus, in illos,
Nunc hos grassatur, nihil isthic numinis iræ.
O quantum sceleri semel est cessisse, bolumq;
Deglutire mali? vitiis patefacta vorago
Absorbet quodcunq; nefas; nil turpe, pudendum
Horrendumq; nihil, nihil intolerabile censet.
Hanc Deus in famulo rectumq; piumq; professo
Non impune ferens, primum Nathane ministro
Corripuit culpam, sontemq; reumq; peregit,
Deniq; continuas denunciat ordine pœnas
Ipsiq; & domui (domui quod noxius ipse
Alterius, tantos sparsisset cæde penates)
Hinc doleat, dum vita illi, Regnumq; superfit:
Quamvis æternas (mærenti, & multa querenti
Deflentiq; scelus) Deus ignoscens miseransq;
Indulsit pœnas, priscoq; remisit amori:
Attamen humanis flagris ulciscitur, ipsa
Morte recens nati (succiso flore cubilis
Illiciti, & primos afflando libidinis hortos)
Qui subitò attactus, (nullâ medicabilis arte
Non votis (malè habet, quamvis altaria multo
Fumarent nidore, paterq; objectus in umbrâ,
Et cinere, ac duris indutus cannabe villis
(Deposito trabeæ, & sceptri regalis honore)
Suppliciter pacem divûm, peteretq; medelam.
Hûic aliud pœnæ successit Amoris ab arte;
Filius hûic Ammon succensus amore sororis
Infando, quoplus reprimit, magè carpitur igni.
Hic iterum vafri Jonadabi incesta libido
Utitur arte, gravem simulans per viscera febrim,
(Hanc juveni suasit fraudemq; viamq; tenendi
Propositi) rogitatq; patrem, ut germana placentam
More suo Tamara coquat, sibi forte saluti

Id fore, languentis stomachi fastidia fallens.
Annuit incautus juveni pater, atq; Tamara
Invisit fratrem, metuens nihil, inscia fraudis.
Quæ simul in thalamum deducta, illustrat opacam
Stella velut, roseo veniēnsve Aurora cubili.
(Hoc decus auricomæ superaddit gratia fronti,
Aut potiùs malè sanus amor, spectantis & error)
Quæ simul ac operi se se succinxit, adorq;
Melle meroq; parat digitis confundere pulchris,
Continuò impatiens ille, & ne polluat inde
Virgineos metuens digitos, erumpit, & arcto
Amplexu retrahens, thalami ne gaudia amanti
Deneget obsecrat, renuentemq; urget, & omnes
Rejiciens monitus, melioraq; consilia, & artes
Germanæ (namq; est metus ingeniosus in illa
Conjugium spondens, nec ei Regem fore voto
Difficilem, licito peteret si more cubile
Fallere sic nitens, & vim divertere tentans)
Cuncta sed incassum; stat inexorabilis ille
Impatiensq; moræ, demum quoq; robore victam
Pressit, & eripuit cestum, solvitq; pudorem.
Quæ simul ac fervens, subito restincta libido est,
Vertitur in tristes averso pectore fastus
Atq; odium; nec tantus erat furor ignis amoris,
Est odii quantus jam, & detestatio voti.
Extruditq; foras, facti famæq; sororis
Immemor, & toti spectandam præbuit urbi
In lachrymis, lacero variatæ vestis amictu,
(Talis enim fuerat regum natabus in usu
Virginibus, donec mutarent flammeo, & ignes
Accensi noctem superarent luce jugalem)
Et capite obtecto lævaj (nam dextera pectus
Oraq; fœdabat) violati signa pudoris
Ista fuere; viamq; omnem clamore replentem.
Unde ab Abisolomo Germano iræq; necesq;
Intentatæ illi, demumq; ad pocla secutæ.
Deniq; & in patrem manifesta rebellio, & aulâ
Direptâ, thalamus populo spectante paternus

Fœdè

[F]æde incestatus super ipso culmine tecti
[U]nde prius vetitos oculis pater hauserat ignes.
Discite justitiam reges, nec rumpere jura,
[E]t quicunq; Deo sacrati nomine privo;
[C]rimen in his gravius, non vulgariq; luendum
[S]upplicio superis ipsis ultoribus error
[C]orrigitur regum, (sub eorum jure tyranni
[A]tque metu subsunt) gravis illos pœna manebit
[Q]uamvis sacratam temerarit nemo tiaram.



METAMORPHOSEON LIBER QUINTUS.

CAP. I.

Salomoni inaugurato magnam mentem, rerumq; omnium gnaram inspirat Deus.

DAVIDIS excepere dies Salomonia regna Jedidiah
Altaq; pax bellum: charus puer ille Tonanti 2 Sam.
Unde tulit nomē, Jove pro patre vate ministro. 12. 24,
Qui licet à teneris regnum susceperat annis, 25.
Sceptráq; jure patrū: tamen ipso à numine su-
Auspicia, ingentem Gibeonis in arce Hecatomben (meus
Mactat, & à sacris componens lumina somno,
Ætheriam expectat vocem, monitúsq; silenti
Nocte datos, quæ sit de rebus séq; voluntas
Numinis, & quonam fingi velit ordine regnum.
Jam medium Phœbe curru transmiserat orbem,

Altáq; nox terris, gelidóq; silentia ponto
Prostrarant gratâ viventia cuncta quiete.
Cum Deus ætherii, per somnum, lapsus ab arce
Insinuat regi se, (sive afflatus in aurem
Pectora seu subiens, an utrumq; ita numine replens)
Davidis ô chari soboles, mea cura, quod usquam,
Aut opis est nostræ, me posce, daboq; petenti;
(Davidis hoc meriti indulgeo) concipe votum.
Dixerat, ætherias Salomo cum pectore dotes
Prætulit & gazis, & crebro ex hoste triumpho;
Postulat & rerum consulta, acgnara regendi
Pectora, quò populo sibi credita jura ministret,
Prudenter, digneque loco, famáq; parentum.
Has artes, has poscit opes. Quod voti animiq;
In puero teneris Deus amplexatus ab annis,
Annuit optatis, Votiq; istius, & omnis
Compotem abire dedit porro votiq; beniq;
Ut non tantum opibus, cunctis majoribus esset
Major, & immensæ per terras munere famæ:
Quin etiam ingenii tantis pollere vigentis
Dotibus, ut populis fieret miracula cunctis,
Hinc responsa petant, & ab ore oracula poscant,
Quisquis ad Occasum Solis dissectus & ortum,
Sauromatásq; vagos, astu Garamantas & ustos.
Hac Pater ætherius; subitâ cum pectora luce
Irradiata, novis cerebri laquearia flammis
Illustrant juveni; quâ rerum in imagine formas
Cunctarum veras didicit, penitusq; subivit
Intima Naturæ, vulgiq; à mente remota.
Quæq; Themis, Phœbúsve tenent (ut carminis auctor,
Aut monstrator opis) potis aut Tritonia pacis
Artibus, (occluso cessarunt prælia Jano)
Unde fuit promptum de rebus, nube remotâ
Judicium queisvis, etiam fatoq; Deoq;.
Quicquid sive salum, cœlumve solumve fovebant
Mente statim penetrat, nec eum sententia fallit.
Hinc Pharios omnes, & quos Chaldæa celebrat
Terra viros, famâ vicit sapientiæ, & artis,

Quos

Quos & Agenoreis Hellas suscepit ab oris;
Jam & ab Æthiopum populis consultus & Indis,
Nomen erat tantum, vicit præsentia famam.

CAP. 2.

Templum à Salomone constructum, Deus nube insidens, se præsto ibi præbet, & igni cœlitus dato aram consecrat.

HIc rex ingenium, primas & comparat artes
Numinis ad cultum, magni moliminis æde
xstructa Solymis, tantarum gloria rerum
uæ sit, & immensæ superet miracula terræ.
Quæ simul ac fulvo surrexit in æthera tecto,
erfectumq; opus est, velo distinctaq; picto
teriora domus, conclusáq; limina valvis
acráq; poscebant altaria, jámq; Sacerdos
hurc adolet; puras nubes delapsa per auras
Non excita solo, nigro non illa vapori
ssimilis, quem Sol radiis uligine mistis
licit, obducto velans sibi lumina fumo)
nplevit propè nocte domum, densisq; tenebris
cra stitit, medio deprendens cuncta paratu;
ntifices adeò ut quâ starent parte, operisque
rte sui, subito stupefacti numine, cœlum
spicerent (nec quâ cœlum regione patebat)
erentes, nec membra situ nec sede moventes.
le ferens lituum, bis senis ille lucernis
rcipulam, & myxos, Lychni instrumenta perennis.
mpuvium hic, alius lances, atq; alter acerram
ttonitus tenet, & mystes vix Hoc agere audet.
Hoc magis inceptos Salomon instaurat honores,
gnoscitq; Deum, conversus ab atrio ad ædem;
blatisq; vocat palmis, & talia fatur.
Magne, Deus densæ qui nubis amare recessus,
tque habitare oculis impervia diceris, adsis
dexter, favedásqe operi. Non terra, polusve

Te capit, hæc manibus nedum mortalibus ædes,
Tectáq; fixa solo: tamen hîc præsénsq; bonúsq;
Esse potes votis, & nos audire secundus.
Da precibus, da summe pius, quæcunq; sub isto
Culmine, vel versus sint fusa sacraria, ad aures.
Illa tuas penetrent vota, ipso sedes honore
Facta rata, & vester favor hanc complectitor ædem.
Annuit Omnipotens, & cœlo missa per auras
Flamma dedit signum, sacrum amplexatáq;, et aram,
Corripuit; seris istos servatáq; in usus
Duravit perstante loco, faníq; sub ipsis
Ruderibus, famæ si quidquam credimus actæ.

CAP. 3.

Jeroboami dextera adversus prophetam extensa arescit, ejúsque precibus restituitur, Ara Bethelitica dissilit, ipséque propheta Dei mandato non per omnia obsequens (licet per mendacium deceptus) à Leone discerpitur.

SIC Salomo magnâ donatus mente, regendi
Doctus erat leges, (stupor & miracula terris)
Regnum pace tenens: sed nil mortalibus usquam
Perpetuum; fatuis turbavit cuncta Rhobomus
Consiliis, juvenis patrias in degener artes.
Unde decem partes, antiquâ stirpe relictâ,
Davidica ad patrium mox descivere ministrum.
Hic, (ut sæpe novos pariunt diademata ritus
Mutata, & sceptrum sequitur cultura Deorum)
Instituit ritúsq; novos, & numina vana,
Fanáq; Danæa hinc, atq; inde Bethelis in arce
Erigit, & spatiis terram discriminat aquis;
Illic sacra jubet fieri, cœtúq; popelli
Sola frequentari; nè fortè Sionis ad ædem
Annua si fierent sacra, concursúsq; suorum
Ad reges redeant priscos, stirpémq; vetustam
Davidis,

Davidis, & leges cum relligione receptent.
Seu quia successor vestigia nulla manere
Antiqui, & regimen penitus vult tollere priscum.
Ergo superstitio (manifesto legis & almi
Numinis approbrio) stabilita inductáq; fanis
Larva Dei, simulans candentem fronte juvencum.
Quem Dominus legísq; suæ, faníq; políq;
Contemptum ulturus primum denunciat iram
Sacrilegis, aramq; novam (quam flore decorent
Et foliis, pecudumq; sacrent abdomine & extis)
Humano demum madefactam sanguine, & atro
Pure sacerdotum, (qui nunc lustralia mactent)
Fœdandam, tetróq; incestandum æthera fumo.
Hanc olim puerum Davidis de stirpe daturum
Vindictam, & superis accepta piacula lasis;
Hæc memorat vates, divinoq; ore canebat.
Cum subito ruptis crepitans compagibus ara
Dissiluit, cineresque calentes thure remisto
Fudit humi, & totum turbavit numine sacrum,
Portentoq; Deûm. quo viso insanus & excors
Dissimulansq; metum rex, vatem adstante prehendi
A populo, & cæco concludi carcere jussit.
Excussâ inclamans dextrâ: sed protinus illa
Diriguit, subitóq; sibi frigescere sensit,
Sanguine constricto, nervísq; ut vimine tensis;
Ac veluti telo percussus ab axe Tonantis
Exanimis stupet, inde trahens exanguia membra,
Aut quibus obstructis recidunt demortua nervis
Membra, nec his cerebrum vires motumq; ministrat:
Haud aliter regi pendet manus arida lento
Brachio, & ad suetos nequiit convertier usus.
Unde cadens animis rex, agnoscensq; Tonantem
Supplicat averso vati, pro séq; rogaret
Offensos orat superos, quò pristina dextræ
Vita per arentes redeat cum sanguine venas.
Quod precibus vatis tribuit Deus, atq; roganti
Annuit & vita est, paritérq; in brachia virtus
Reddita, per venas sanguis, nervosq; cucurrit

Spiritus

Spiritus, & gelidum posuerunt tensa rigorem.
Jusserat hunc Dominus defunctum munere vatis,
Non hærere loco, non intertexere rebus
Aut perferre moras; non ipsa admittere regis
Officia, & vetitis illic adsistere mensis,
Quin etiam latice: ast dare sese in iterq; viamq;
Continuò, atque alium redeundo carpere callem,
Fallat ut asseclas, importunosq; morantes.
Quippe suos (gnarus Deus humaníq; levísq;
Ingenii, & possit quid consuetudo malorum)
Non ullo obstringi benefacto aut munere, non vult
Hospitio, non alloquio dignare profanos.
Gnaviter hic cæpit, confirmatoq; peregit
Pectore jussa Dei, invisâ Bethelis ab arce
Proripiens sese, spatio jámq; abfuit æquo;
Ecce senex segni festinat vectus asello,
Sollicitatq; virum, redeat, paulumq; refecto
Corpore se reddatq; viæ, nec plura moretur.
Talibus instabat, causantem jussaque contra
Numinis, obtento persuasit deniq; fato,
Oraclo que novo, vati sibi cœlitus acto.
Sed nondum dapibusq; hilarem, vinoq; remotis
Perturbat subitam numen vatémq; fatigans
Hospitem in assuetis aperit præcordia fatis.
Qui subitò erumpens (de blando tetricus hospes
Factus) in os vati (forte è regione sedenti)
Clamat, & infestam superûm denunciat iram,
(Ob neglecta Dei, perfecta nec ordine jussa)
Decepto, falsoq; licet; (sic namque Tonantem
Tentare, obsequiumq; istâ ratione probare;
Errorémque Deos non prætermittere læsos
Impunè, & strictis nihil hinc decedere jussis.)
Quocirca patrio tua membra inferre sepulchro
Non dabitur sancto; immani sed præda leoni
Mox eris, abjectusq; dabis spectacla vianti.
Finierat senior; stupor, & cùm corripit horror
Alterum, & arreptis (malè quêis avulserat hospes,
Vates, prob, vati fallax) baculoq; viâque,

Haud

Haud ierat multos extra pomœria passus,
Tristis, et occurrit cùm vis rabiosa leonis
Arreptumq; truci discerpsit viscera rictu.
Hinc Jeroboamo magis occallescere cœpit
Pectus & obfirmat se relligione receptâ,
Clade viri auditâ qui super numine tanto
Terruit infausto disturbans omine sacra.
Artibus aversos his illaque tq; probatq;
Omnipotens, ostenta sinens contraria jussis
Atque minis fieri, & rerum moderamine cedens
In speciem, dubios permittit in ordine casus.
Sic etiam sceleri miscet res sæpe secundas,
Fœlicésq; diu sinit inclarescere pravos.
Sic etiam magicis permissa licentia fallax
Artibus, in superas Phario perfistere pœnas
Spémq; animosq; dedit, donec suprema rebellem
Obruat, & reliquis exemplum linquat inultis.

CAP. 4.

Fame regnum Israeliticum depascente Elias hospitam Sareptanam cum filio modicâ farinâ, oleoque non decrescente alit.

SIC invasor habet regnum: sed sceptra nepoti
Vix transmissa cadunt, alius nam raptor ademit,
Huicq; alius justo sic divum numine iniquos
Committente sibi, scelerísq; audaciâ ab uno
Gliscente in reliquos, & sic sine fine furente.
Tantum exempla valent pravi, calcatáq; summi
Juris apud populum majestas, atq; tiara;
Quæ turbata loco, non primo vertice sedit
Fixa unquam, unius sancita aut cæde tyrannis.
Post varias rerumq; vices, regníq; labores
Summa rei Omriden demùm ad devenit Achabum.
Hic scelere ante alios reges immanior omnes,
Irritansq; Deum factis, & numine ficto,

Opprobrio infensos cœlos sibi reddidit ipsos,
Ætheraq; obstructis cohibentes nubibus imbres,
Donec ter magnum Phœbus circum rotet orbem,
Divideretq; novum spatiis altissimus æquis.
Usta superficies terræ nec grana, nec herbam
Suppeditat, fugere ipsis de fontibus undæ,
Flumina deficiunt arentia totáq; flebat
Mœsta siti regio, pecoríq; hominíq; noverca.
Mittitur hoc misero (Cherithæ torrentis ad undam
Per deserta) statu rerum, pascendus ab ipsis
Vulturibus. Vates Elias, quem mœnia Thisbes
Ediderant, gelidis Gileadis montibus ortum.
Hi Cererem, atq; uncis vectantes unguibus offas,
Ritè ministrabant vati, (dum flumina torrens
Sufficeret) bis quaq; die, cum linqueret undas,
Phœbus, & Hesperias rursus defessus anhelat.
Deficiunt Lymphæ demùm, torrensq; fatiscens
Aruit, atq; novas agitur disquirere sedes;
Ætherio monitu, Sidonis finibus urbem
Exiguam, & viduæ hospitium pauperculæ adire.
Illa Sareptanam (cujus fuit incola) forte
Ante urbem, sero dum lignula colligit igni,
Occurrit vati; modicæ qui pocula Lymphæ
Supplicat, & modicum, Cerealia munera, crustum.
Cui respondit inops (quanquam miserata petentem)
Copiam eam non esse sibi: totùmq;, farinæ,
Ad modicum, & pugno quantum quis prenderit uno
Deductum esse penum, atq; olei quod vix satis uni
Sit pani, in cœnam natoq; sibiq; supremam.
Cui vates tamen instat agens, omniq; remoto
Et dubio, & cura, rogat ut sibi præparet arcti
Primitias libi: neq; enim magis hoc minuendum
Exhaustumve penum: satis inde superfore & ipsi
Et domui spondens, non una in prandia tantùm,
Quin pastum durante fame, & dum nubibus imber
Depluat in terras, frugésq; & flumina reddat.
Ista Dei † facidùm non vano numine firmat.
Dixerat, illa viri admirans fiduciam, & alta
Gran-

Grandiáq; externi verba ædita nomine divi,
Deproperat, cœnamq; parat, vatiq; petitum
Præparat: at nec eo supereſt minus, haurit & uſq;
Exoleo, tamen haud exhaurit, & explet; ademptum
Redditur uſq; penu non ullâ parte minuto,
Et ſubducendo creſcit, nec deficit hauſtu:
Integra ſors remanet. Mulier ſtupet inſcia adorans
Numen, & humanos miracla latentia ſenſus.
Sic ſibi cum nato, vatiq; miniſtrat abundè,
Non modò eam in noctem, ſed totum dives in annũ,
Sufficiente penu, donec nova copia cœlo
Depluat, & latis albeſcant meſſibus agri.
* *Quo Pater omnipotens opere, inſigniq; probavit*
Indicio vatiſq; fidem, numénq; ſuum, per
Iſacidas clarum prius, hinc quoque gentibus auctũ
Externis, famâ excitis, & nomine facti.
Hic ut in anguſtis rebus per mira miniſtro
Officia, & certo ſubvenit ab æthere ſigno;
Sic ad egeſtatem cunctis ſuccurrit honeſtam
Omnipotens, quod opus nobis, quorum indiget uſus
Sufficiens, quamvis non uſq; ſuperflua donet,
Quæq; libido velit. Sint ergo vota modeſta
Atq; animus parvo contentus, victus in annum
Suppetat, atq; diem, ſatis eſt; ſum dives abundè
Atq; Deo charus, nec regibus invideam rem.

CAP. V.

Filius viduæ Sareptanæ vitæ reſtituitur.

HIc aliud rari, miriq; occurrit; ab Orco
Eſt pueri revocata anima in demortua membra,
Deſertáſq; redux fibras, & pectora pulſat,
Et calor, & ſanguis gelidos rediere per artus.
Dum viduæ hoſpitio vates, laribuſq; puſillis
Utitur, & modica non copia deficit eſca,
Gnatus erat viduæ qui ſolus & unica cura,
Incidit in ſubitam ſuccenſo ſanguine febrim,

Quâ (ſubito humoris nativi corpore toto
Radice abſumptâ, & genitali ſemine vitæ)
Confectus, gremio expirat genitricis amatæ
Dulcem animam, gemitu tenui de pectore miſſam
Exanimata parens totas ululatibus ædes
Implet, & inclamat vatem (nam rebus egenis
Hoc unum reſtat) prece nunc inſtánſq; roganſque;
Nunc (ut fœmineus dolor in quæcunq; ſolutus
Fertur atrox) vatem incuſans, et talia queſta;
Quid mihi, quid tecum vir tanto numine plene?
Cujus vicinis gravis eſt præſentia divis.
Quanto ſum, miſera heu, impar magis ipſâ ferendo,
Noſtráq; progenies? non hos domus hoſpita in uſus
Facta tibi patuit; ſobolem, ſeniiq; necares
Scilicet ut columen noſtri, functiq; ſuperſtes
Quicquid ubíq; viri eſt, monumentũ et pignus amo-
Ille (animi compos quãvis) concuſſus acerbo (ris.
Mœrentis caſu, depoſcit ab hoſpite corpus
Exanime, & gremio ſuſceptum attollit & aufert,
Inq; ſuam defert ſpondam; cœnacula ſummâ
Parte domus, modicis lucem admiſere feneſtris.
Hic puero incumbens totíſq; amplexibus hærens
Ter mæſto vocat ore Deum, queriturq; rogatque
Hoſpita quod tanto ſit per ſe affecta dolore;
Hic pietatis honos, merces hæc læta laborum?
O redeat defuncto anima in demortua membra,
Spiritus arripiat præcordia rurſus, in artus
Rigentes veniat calor, & lux reddita ocellis.
Audiit orantem Deus, & ſuſpenſa reverti
Fata jubet, ſtaménq; colo deducere Parcas.
Nec mora, continuò vertunt fuſoſq; manuſque
Educuntq; novum converſo turbine filum,
Penſaq; producunt; ſubito præcordia motu
Pulſantur, veníſq; calor ſanguíſq; cucurrit,
Acta per innumeros rediviva in membra meatus,
Redditur & vita penitus, cernítq; ciétq;
Membra agilis, matríq; hilaris, ſanuſq; refertur.

Unde Deo chari major fiducia vatis
Cepit, & hospitii tenurem non pœnitet alti.

CAP. VI.

Elias igni cælitus dato hostiam madentem absumit, ut & 2. semicenturiones cum suis manipulis.

JAm confecta fame regio, desertaq; longâ
Pæne siti, (ternos mærens sine messe per annos,
Imbribus aut ullis) populum regemq; protervum
Numinis irati monuit (spretæq; per ipsos
Religionis) & aversum placare jubebat.
Ergo per Isacidûm fines, indagine factâ,
Exquirunt Eliam jam satq; superq; probatum,
Pœnitet exacti, reducem rex optat adesse,
Per quem tantorum requiem finémq; malorum
Accipiant, læsosq; Deos oracula poscant.
Ille satis gnarus, (gratum ingratumve) suum jam
Sperari reditum, regi se ostendit & offert
Infenso, fidénsq; Deo, in discrimina mittit.
A quo vix placidè nec aperta fronte receptus,
Intrepidè accusat regem, criménq; retorquet
Inductæ cladis patriæ, cælestis & iræ.
Atque ita transmissa seu rixa sive salute,
Congressu in primo, populum regémq; minister
Numinis exposcit, cur inter numina bina
Ambigui hærerent ? incerti tot mala ferrent ?
Fortêne, an immissu deserti numinis æquo ?
Quin ergo accitos secum certamen inire
Balicolas cogant, sacrísq; hinc inde litatis
Sollicitare Deos precibus, numénq; rogare
Quemq; suum, & cœlo quisquis responderit igni,
Hunc fore non dubium populis per secula numen.
Assensere omnes, & ducta sorte juvencos
Excoriant binos, Elias hinc, inde Balitæ;
Imponuntq; suis quisque, at frigentibus aris.

Inde suos vocitant magno certamine divos;
Balicolæ imprimis, qui non modò voce, sed hausto
Sanguine sollicitant venis, & vulnere crebro
Pectoris atque cutis, nudantes viscera cultris,
Atque stylis sibimet, circum spectantibus horror.
Sic sese ad lentum (quingenti pene) ciebant
Quisq; sacrum, seros donec succenderet ignes
Hesperus, atq; novum sacrum nona hora vocaret.
Sed neq; responsum cœlo, neq; redditur ignis,
Signa nec ulla Dei, licet ingeminantibus ore,
Planctibus & crebris, educto sanguine venis.
Demum bis senis Elias sibi construit aram
(Pro numero tribuum) saxis, populúmq; stupentem
Advocat, & fossa jussit circundare, Lata
Seminis accipiat quantum bis Ponticus arvis
Sufficiat modius, nec sulcis sparsus abundet.
Dispositóq; sacro, lignorum & fascibus, undam
Affundi, donec completâ flumine fossâ
Pænè natet sacrum, vix & superemineat ara.
Jámq; sat affuso madefactis flumine sacris,
Advocat antiquum, jam antiquatumq; popello
Isacidum numen, patribusq; in secula cultum,
Vindicet ut signo verum sibi numen aperto,
Et sinum, famulíq; fidem, nec inania jura.
Dixerat, ætheriis subitò cùm fulgur ab oris
Emicat, & magno volitans stridore per auras
Corripuitq; sacrum, penitusq; à sedibus aram
Flamma vorax hausit, fossámq; & flumina siccat.
Agnovere Deum proceres, pronusq; popellus
Fronte petit terram, numénq; ignémq; salutat.
Ergo Baalitas Elias jubet agmina mystas
Apprensos necuisse manu, (nullique litantum
Parcere) tantorum causam, fontémq; malorum.
Ipse ad consuetas referens se vota precésq;
Carmeli juga montis adit, genibusque sub ipsis
Vertice submisso pronus, propè conq; volutus
Orat, & optatus longùm rogat æthere nimbos.

Hinc famulum Oceano quid se ostendatve feratve
Ire jubet visum summa ad fastigia montis ;
Bis ternas iterare vices, iterumq; redire
Spectatum jubet (haud facili speranda labore
Gratia cœlestis, nec nos desistere in ipso
Limine, nec, primo quamvis pia vota labore
Sint frustrà decet) intereà precibus pius instat,
Contenditque Deo vates, nubecula donec
Humanam referens palmam, consurgere ab undis
Visa, brevi totas obduxit nubibus auras,
Unáq; fit cœli facies, noctemq; minatur
Lurida, & Æoliis æther fremit undique nimbis.
Effugit instantem cœli vix ipse ruinam,
Pernici rex axe volans ; quem viribus auctus
Atque animis Elias, præcurrit ad ipsa volantem
Atria grandævus, nec cursu deficit ager,
Atque levis celeres prævertitur assecla currus.
Namq; Deus fessam vegetans, gravidãq; senectam
In juvenile novans robur, pro tempore firmum,
Atque supra teneros agilem dedit artubus annos.
Hic etiam precibus fulgur deduxit in hostes
Labentésq; polo flammas (his utitur armis
Nempe poli civis, cœlísq; sub imperat ipsis)
Absumpsitq; duas montis de vertice difflans,
Cum ducibusque, acies ; fatum sed tertius instans
Effugit precibus. Jovis hæc contra arma valet vis.

CAP. 7.

Elias Jezabelis iram fugiens, in locis solis ab Angelo alitur, Jordane diviso, in cœlos igneo curru evehitur.

His licet obstrictus donis, regnóq; recepto
E longa, tristique fame : tamen inde fugari
Atque solum patitur vatem mox vertere Achabus
Conjugis injustæ cedens uxorius iræ.

Illa sibi patrios ereptos (vindice quamvis
Numine) cum mystis tot relligionis avitæ,
Corde dolens patrona Deos, per sacra, per Orcum
Voverat inferias Eliam mærentibus umbris,
Et tepido cineri cæsorum, crastina iturum
Ante sacra, & roseos quam Lucifer exerat ignes.
Ergo, fugâ (quamvis sat præside numine tutus)
Consulit ille sibi; neque enim tentare supremam
Æquum duxit opem, sibi cùm foret obvia vitæ
Altera servandæ ratio, haud obstructa saluti.
Atque fugit fines in Judæ, & regna propinqua.
Nec tamen hæret ibi; gnarus socialia regum
Pectora (ceu sceptris sua sunt communia jura)
Fecerat affines illos quoque tæda jugalis;
Ergo Beersebæ deserta, incultáque tesqua,
Et loca sola petit, longique operisque viæque
Pertæsus, capiti, (quâ forte resederat umbrâ
Tædio ut usque sui comes est incuria rerum)
Junipero incumbente gravi; vitámq; diémq;
Claudere ut extremam liceat, suspiria ducit
Ad Superos; satis est, (inquit) Patriæq; mihíq;
Concessum, da posse mori Deus, atque reposce
Ægram animã, haud umbris precii majoris avitis.
Voce simul, votoq; sopor complectitur artus,
Inducens animis oblivia grata laboris.
Quem, (simul ac justâ recreasset membra quiete,
Rore novo spargens, succúmque replesset ademptũ)
Dispulit, (impulso latus Elia) ab æthere missus
Nuncius, & mensis jubet accubuisse paratis.
Uter erat gelidæ, puro de fonte, (nec ullis
Æquato gemmis, turbato calce nec ullâ)
Libáque ab ardenti juxta fumantia prunâ,
Adstabant capiti; (sic sunt præsentia sæpe
Subsidia incautis, à tergo numine præsto)
Omnia quæ superûm providit cura, creavit
Vel nova, dilecti faciens in gratiam & usum.
Hoc quoque post seram repetivit manè quietem

Ali-

Aliger, accingique jubet dapibusque viæque;
Quæ sit ei longa, in multas obeundáque luces;
Namque quaterdenos illius robore pastus
Continuando dies, in collis tesqua Chorebi
Venit, & in solo noctem trahit anxius antro.
Quem varias penitus volventem pectore curas
Alloquitur Deus, & rerum quid cogitet illic
Quærit, & in montem jussit prodiret apertum,
Promptius ætherias hauriret ut inde monelas.
Cùm subitò, Æolii quasi rupto carceris antro
Ecce ruit ventus, colles hinc inde fragore
Disjiciens ruptos, fissis pandénsque cavernas
Sed nondum Deus ipsus adest. Subit inde tremore
Horrifico fremitus, qui subterranea quassans
Visus erat montem fundo subvertere ab imo:
Sed nec inest fremitu Dominus. Mox flamma sonore
Advolat, & rupes amburit fulgur apricas:
Præsentis nec signa Dei sunt ista. Subivit
Aura sed, & placidæ demum discrimina vocis.
Hic Elia obtenta sibi vultum obnubit abollâ,
Prodit & ora specus ad prima, atque accipit aure
Jussa Dei, adq; suas solatia justa querelas.
Eja Damascenas, ait, hinc contendito turres,
Adque Ramothæas Gileadis, & arva Meholæ:
Inde tibi vindex trinus quærendus, Achabi
In genus, atque domum; rex est ungendus Hazaël
Duxq; Syris, rex Nimshiades Somronis in arva:
Shaphatidénq; tibi vatem, in tua jura locumque
Surroga; ab his tribus est à stirpe ruendus Achabus.
Jam satis in terris dîs charus degerat exul
Vates, & victam patriam, gentésq; propinquas
Ostentis, signísque novis in numinis egit
Obsequium, ac ritus docuit servare vetustos.
Nunc cœli vocitant civem, terrísque reposcunt.
Quem non communi voluit decedere fato
Jupiter, aut vulgi sublatum more profani;
Non tumulus, non Orcus eum: sed sidera curru.

Æthe-

Ætherio accipiunt vivum, gnarumque futuri.
Transitus hic verè, non mors; non flumina nigra
Per Stygis, aut monstris horrentia limina Ditis:
Ætheris ast puros orbes, tractusque coruscos,
Sidereasq; domos, laquearia pictaq; flammis,
Harmonicosq; modos, & limina festa choreïs.
Jam vada Jordanis (trajectus signa futuri)
Venerat ad, facilemq; viam fecere fluenta,
Disjecta hinc atq; hinc inflictu horrentis abollæ,
Quà vates iturus erat, (præsentia tanta
Numinis est, nullis illi est opus instrumentis)
Qui simul ac ripam tetigit, comitante ministro
Shaphatide solo, fidum conversus ad illum,
Heus, ait, extremum pete nunc abeuntis ab ore
Munus, opis quicquid nostræ, votisq; patescit:
Ille nihil, genii nisi jus ex besse superni,
Sic hæres scribi, vatem rogat. ardua vates
Res, ait, est, nec parva petis: tamen, hinc abeuntem
Cernere si dabitur tibi, forsan & hoc quoq; voti.
Atq; ita dum gravibus fallunt sermonibus horas,
Expectantque deum, currus, pariterque jugales
Ignei ob ora volant, dominumq; avellere servo
Incipiunt, subitoque vehunt ceu turbine, vatem,
Astra sub, adstantis vixq; observatur ocellis.
Decidit ab repto toga pexa, simulq; jacentum
Cura omnis, sensusq; animusq; sub æthere rerum,
Delapsamque capit famulus, geniiq; reiq;
Hæres, amissum compensans numine vatem,
Dispescensq; suis Jordanis flumen abollâ,
Dum redit, & voces Eliæ non sentit inanes.

CAP.

CAP. VIII.

Elisæus Jerechuntinis fontibus medetur, regibus cùm copiis siti in deserto pereuntibus, aquas sufficit, In Bethelitas irrisores ursos immittit, Viduámque pauperculam miro olei non deficientis incremento, ære alieno sublevat. 3

Hic Jerichuntinas, magno medicamine, lymphas
(Prima hæc auspicia) expurgans, dulcescere jus-
Peste gravi, steriles noxam fundente per agros. (sit,
Nempe jubet populum conquestum damna, salinum
Deferre ad fontes: hoc tristes miscuit undas
Virus abesse jubens illinc, pestemque latentem,
Nec porrò steriles salsugine reddere campos.
Inde salus lymphis venit, populoque; scatebris
Natura exuitur, dulcescit odorq; saporq;
Fit color innubes superans argenteus auras.
Hic etiam fontes sitienti eduxit arenâ,
Regibus immensum ternis ducentibus agmen,
Et campos implevit aquis stagnantibus, undè
Fluminis à nullis fuerant vestigia seclis.
Imperat innumeris vallem proscindere fossis,
Atq; ligone oculos vacuis incidere campis,
Cum subito prorumpit aqua, ebullitq; ruitq; (dans,
Fluminis in morem, campos magno agmine inun-
Atq; lacum, pontiq; sinum vaga gurgite vincit.
Quam simul ac radiis lux crastina sparsit Eoïs,
Sanguineæ apparent lympha, stagnare videntur
Cuncta cruore; novis Moabum queîs lumina monstris
Falsa tenebantur, facilem ut sine vulnere palmam
Sperarent, spoliis incursarentq; paratis:
(Tanta fuit mentis delusio) cum tamen ipsi
Præda forent hosti, nec opina cæde cadentes.

Non nisi ad hoc operis commotus carmine vates
Prosiluit, petiitq; sibi qui personet aures
Excieatq; animos, aversaque pectora fatis
Namq; Jehudæo regi conjunctus in armis
Rex Someronis erat, (de stirpe rebellis Achabi
Exosiq; Deo, vatiq;) ut lentius ergò
Numen adesse sibi sensit, nec corda salire
Plena Deo, poscit Musâ sibi tarda cieri
Pectora, vixq; hilares laxari carmine fibras,
Discussâ penitus mœroris nube prementis.
Liberiora Deus nam pectora amat, neque curis
Aut odiis depressa; ut genius turbata malignus
Arripit; atque odiis, gaudétq; tumentibus ira.
Cernere ut in Saulo est; Furiarum maxima cujus
Infensam insedit mentem, quam sola fugabat
Musica, Davidicis pulsatáq; nablia plectris.
Hic Jerichunte abiens, pervenit rura Bethelis
Prodiit unde chorus puerorum (illudere vati
Audentum) & calvo exprobrat, calvoq; minatur,
Huc age sis, heus, calve veni, succede Bethelis
Turribus, & spissæ præbe spectacla coronæ.
Ille nihil contra; tacito nisi murmure turbam
Devovet, àque suo pœnas his numine poscit,
Dimittens sobolem Diris idolicolarum.
(Illa etenim sedes vitulo sacrata, profanus
Quem simulavit, & effigiem confinxit ad Apis
Antiqui, ac patribus terra Mareotide noti.)
Vix abiit, silvâ, strepitu cùm ingente propinquâ
Erumpunt ursæ geminæ, puerósque trementes
Corripiunt, lacerantq; artus, vix nectáq; gustant.
(Nam neq; dira fames tantum, quantum fera cædis
Armarat rabies, immissáque cœlitus ira)
Nec prius absistunt, decies quam quatuor, illâ
Clade dedere neci, luctûsq; impleverat urbem.
Illinc Shaphatida invisenti rura Samarræ
Occurrit vati paupercula (de grege vatum
Juncta viro quondam, vacuos tunc morte penates

Asser-

Asservabat inops, multo (sub fœnore mœrens)
Accidit hæc genibus vatis, per conjugis ipsi
Haud quaquam ignoti nomen, per numen amicum
Vatibus obtestans, alieni mole levaret
Æris (qua fuerat mira pietate, Deûmque
Gratia apud) natos ne creditor inde gemellos,
(Unam spem senii,) rapiens, Vadimonia dura
Cogat obire foro, & functum præstare parentem.
Ille inopem miserans, rogitat, quid forte bonorum,
Vasorumve domi miseræ foret, ecqua supellex?
Quam vendens salvétq; fidem, famámque mariti.
Illa refert, sibi nil reliqui jam, præter olivi
Exhausti modicum, fundo quod lecythus abdat.
Id jubet innumeris transfundi ex ordine vasis,
Haud defecturum spondens, dum suppetat ullum
Vas capiens, tanto superabunt ubere dona.
Paret inops vati, tota conquiritet urbe
Vascula, sic foribus clausis, cum prole gemellâ
Tentat opus, primúmq; implet; nec copia fontis
Expletur: superest, scatebrâ seu lympha perenni.
Miratur mater, pueri stupuere, subesset
Quæ modico vasi virtus, oleúmq; ministret.
Nec prius absistit, liquidus neque deficit humor,
Quam nova captando liquori vasa deessent.
Sic Pater omnipotens in nostros largior usus
Usque fluit, capiat quam nostræ angustia sortis;
Si parcus sit, culpa tua est, ne murmure cœlos
Impete, fortunam querulusve vocato novercam.

CAP. IX.

Shunemitidi filius Elizæi precibus concessus, & postea extinctus, vitæ restituitur.

INde sub Ephramiis Shunemum devenit oris
Montis in acclivi villam, cultuq; situq;
Et Domino celebrem; namque hanc ditissimus agri

Ephramidûm tenuit, sed munificentior uxor
Hospitio, atque opibus vatem suscepit amicis.
Cui licet officiis nequeat contendere vates
Talibus, haud impar tamen, & cessisse potenti
Nescius, eximias reddit pro munere grates.
Forte viro proles fuerat non ulla, nec hæres
In tantas subiturus opes, limenque senectæ
Ingresso, spes omnis erat deposta minorum.
Ergo illi præter votûmq; animúmq; parantur
Munera, quæ divis vix jam speraret ab ipsis,
(Tanta fides superûm vati stat, gratia tanta)
Filius ad certam naturæ scilicet horam
(Conjuge de charâ nascens) menséſq; statutos
Spondetur sterili, superi promissáq; firmant.
Nec mora, cum primo genitali semine, divûm
Munere fert uterum, justo impregnatáq; profert
Tempore promissum puerum; qualis neque numen
Dedeceat, (quod rerum opifex) tristéve parentem.
Jámque inopina parens prædulci pignore divûm
Perfruitur, nutríxq; diu, ablactarat alumnum:
Cùm subitò (seu vi superûm, seu sidere Cancri
Torrenti nimiâ pueri præcordia flammâ.
Corripitur febri, capitísq; dolore, cerebro
Attacto, & teneros quatit acer anhelitus artus.
Qui (casu ut tali) primùm patris ora, manúsq;
Demulcere sibi solitas petit; inde parentis
Amplexus charæ tremulos, gremióque fovetur,
Sed vix supremum Sol fervidus attigit axem,
Jámque dies medius rerum contraxerat umbras,
Cùm tenuem exhalat vitam puer, omnis & artus
Deseruit calor, ac morientia lumina clausit.
Exanimata parens (unum quod restat egenæ
Consilium, quantúmque dolor permiserat impos)
Depositum lecto, quo vates sueverat uti,
Non fletum corpus, se proripit, atque ministro
Deducente uno, vatis petit ora, sacratos
Carmeli montis secessus forte tenentis.

Qui de more ſedens, ſpeculâ dum deſpicit altâ
Contiguas valles, vicináq; rupibus arva,
Hoſpitam ab arce procul venientem agnoſcit, & illi
Mittit in occurſum, ſcitatum quis ſtatus ejus
Sit rerum, tantæque viæ quæ cauſa quietæ;
Num bene ſit nato, atque viro. Nil illa morata
Scitantem famulum, vatem petit, atq; voluta
Longævi pedibus, greſſus tenet, arctáque inhæret
Miranti, in voces vix demum labra reſolvens;
Et de promiſſo ſibi nato à vate, Deique
Munere, quod neque ſperarit, neque voce rogarit,
Præfata, expoſcit, cur nunc majore dolore
Oſtenſum eripiat Deus, ædita dona repoſcens?
Cui vates (totus curando intentus) ad ægram
Voce nihil reddit; tantum jubet ire miniſtrum
Atque ſuum baculum, (quo nitens numen adoret)
Ora ſuper poni puero; ſic nempe puello
Extincto fortaſſe animam, ſenſúmque reduci.
Inſtruit his famulum monitis: præſentia vatis
Ipſa ſed urgetur, nec mœſta abſiſtit, Eliſha
Donec eat, victúſque preces admitteret ægræ.
Cui famulus baculum geſtans occurrit eunti
Irritus, & nullum narrans in membra redire
Aut vitam, aut ſenſum puero: greſſum ergo ſenilem
Accelerat vates; qui nota ut tecta Shunemi
Attigit, & lecto exanimum conſpexit aperto,
Ingemuit, totóq; Deum, vitæque datorem
Invocat extincto ſuper, & de pectore fatur.
O redeat, (Pater omnipotens) in mortua membra
Vita prior, gelidóſq; animet diffuſa per artus;
(Fata tibi parent, & inexorabilis Orcus)
Da precibus, da Summe, piis. Simul incubat ore
Os tangens, manibúſq; manus, atque artubus artus,
Dum foto redeat calor, & revocata cieret
Membra anima, ac ſpatiis ſternutu erumperet arctis
Septeno, lucémque oculis captaret apertis;
Parti quæque ſuæ virtus, vultúſque vigórque
Redditur, & matri (eventũ inter ſpémque metúmque
Exteri-

Exterius spectanti) avidis acceptus in ulnis,
Blandus & arridens magnum complevit amorem.

CAP. X.

Amaritudini colocynthidos fariâ medetur, centum viros paucis panibus alit Elisæus.

Hinc juga Carmeli linquens, atque arida tesqua
Secessus veteris, sedes Galgalis in oris
Figit, & haud paucis collegia vatibus implet
Communis queis mensa datur, sed quisq; ministrat
Symbolum, olus, fructusq; feros, & agrestia rapa
(Hæ cœnæ vatum) queis dum incubuere legendis
Incidit in diram quidam colocynthida vatum,
Pultibus hæc immissa, necem gustantibus atro
Felle minabatur: sed juri injecta farina
Curavit lethale malum (monstrante magistro,
Et medicante manu) subitò decessit amaror,
Et penitus dulcem capiunt absynthia succum.
Interea Salisæ veniens à finibus hospes
Primitias frugum vati, defertq; viginti
Farrea liba, quibus centum compavit alumnos
Exemitq; famem, vates Elizæus, abundè
Sufficiente penu, nec decrescente (reponit
Vis occulta etenim, damnumq; resarcit edendo)
Divisum in primos juvenum, manet usq; secundis
Plus, reliquisq; satis, donec dimensa teneret
Quisq; sua, & nemo vatum injentatus abiret.

CAP.

CAP. XI.

Naamanis Lepra curatur, & in Gehazi posterosque ejus transfertur.

Hinc Syriæ reges vastant incursibus agros
Isacidum, Naamane (animis & fortibus armis
Insigni) ductore: cutem sed fœda notabat
Lepra, & magnanimos confuderat horrida vultus,
Ille per ancillam (quæ bello é finibus acta
Isacidum cessit victori præda) maritæ
Forte ministrantem monitus Gilgalis ad urbem
Esse Deo charum vatem, multiq; potentem.
Rara per Isacias qui det miracula terras.
Ergo cum tabulis Benhadado à rege favoris
Eximii & signis, ad Achabum mittitur, amplis
Mandatis, donisq; simul, si reddat amicum
Atq; sibi charum plenæ optatæq; saluti.
Sed frustra; nil tale potest rex, nec trabeatum
Sunt ea dona penes: vili vestitus abollâ
Ad se transmitti jubet, atq; potentia quæ sit
Numinis Isacidum sciturum spondet Elisha.
Ergo Syrus magna petit hunc comitante caterva,
Exiguosq; lares, nullaq; insignia pompâ
Limina, nec magnum refugit se offerre clientem.
Nec tamen aut turba, vates pompave movetur,
Nomine nec vano, non visu aditure profanum,
Ignarumq; dei patriæ dignatur & hostem,
Prostituitve viro sacra (coram vota precesq;
Concipiens:) tantum per servum nunciat, iret
Ad Jordanis aquas, bis terq; iterumq; lavaret.
Quod (licet haud placide accipiens, velutiq; repulsam
Indignans, fastumq; gravem) nihilominus ille
Exequitur, nudusque sacras descendit in undas,
Septenos iterans initus septena lavacra.
Cum sensim scabras sentit decedere squammas,

Atque

Atq; cutem rigidam lentescere, carne tenella,
Sanguineq; in venas fuso meliore, nitere
Corpus, & exutis solvi quasi membra catenis.
Liberiorq; animus cœpit gestire, secutus
Corporis ingenium, lævibus gaudensq; novatis.
(Haud secus ac posita coluber cum pelle senecta,
Exuviisq; novus, se se in sua terga reflectens
Exultat, linguisq; micans, & lumine flammans,
Et vario violas superat, gemmasq; nitore.)
Ac rediens vati grates cum munere largo
Offert, argentum, vestes, velamina rara,
Vasaq; cum mensis, Syriæq; opulentia quicquid
Ferre potest, tantis spolia & sibi parta triumphis.
Sed renuit vates; non donis vendit et auro
Ætherias dotes, (majoris quippe valoris
Et precii) nec opes acceptas proferre profanis,
Numinibusque juvat fictis. Sed dona minister
Arripuit, ficta redeuntem voce moratus
Nomine heri, hospitibus ceu binis munere egeret
Duplice vestitu pueris, ærisq; talento.
Quod duplum tulit. At non vatis conscia fallens
Pectora plena deo, simul isto munere lepram
Accipit, & fœda Naamanis peste tenetur,
Ore, cute, & toto canas imitante pruinas
Corpore; quin soboles per secula traxit eandem
Artubus infectis labem, quam tollere nulla
Ars hominum poterat, superis nec vota profusa.
Stat dictis æterna fides, & pœna merenti.

CAP, XII.

Ferrum Jordanis alveo mersum, Elisæi precibus, supernatat.

ARcta nimis, tantæ nec tecta capacia turbæ
Gilgalis fuerant: quare collegia vatum

Supplici-

Supplicibus rogitant votis, Jordanis ad undas
(Silva frequens ubi sit, tectis & crebra struendis
Materies) sedes vellet transferre priores.
Annuit optatis juvenum, vatésq; secutus
Castra movet, numerosa, haud re gravia inq; pedita.
Qui dum ligna secant ripas Jordanis ad alti,
Et trabibus silvas aptant, stringúntque tigillos
Ædibus, & longis pendentia brachia ramis
Decutiunt; cûidam sacri gregis acta securis
Decidit, & mediis ferrum submergitur undis.
Hîc opere abrupto, turbatis ordine longo
Agminibus, casum dum commiserantur iniquum
Artifices socii, vatem communibus orant
Shaphatiden votis, operi, & succurrat egenti;
Quippe suâ haud quaquã, sed mutuò ad hoc opus uso;
Quo neque sit dignum damnis à talibus ortum
Accipere, auspiciisq; domum cæpisse malignis,
Nec tenues, inopésq; operam hac mercede locare.
Accurrit vates, & consolatur agentem,
Exquiritq; locum, quo vortice, queísq; sub undis
Hæserit, atque inibi decisum ex arbore ramum
Injicit, & facto simul, en, (mirabile dictu)
Emicat, ac summis ferrum superinnatat undis
Obstupuit visu mœrens, stupuere receptum
Adstantes socii, præsens & numen adorant.
Nunc ride Judæe, ducis vestigia nostri
Supportata vadis, liquido nec mersa profundo,
(Sive suum pondus tunc sponte exuta, coacto
Sive mari virtute novâ, ut solidesceret unda,
Et Domino firmos præberet in æquore gressus)
Quique tui ad sensus normámq; modúmq; reducis,
Metirísq; fidem, naturaq; Omnipotentem
Angustæ ad leges, virtutem & numinis arctas,
Disce subesse Deo, cui rerum jura, modusque
Ad nutum subsunt, quibus immutátque movétque
Ingenium, proque arbitrio dat cuncta novata,
Hinc gravitas ferro, flammis calor, ira leone

Et fluidum lymphis cessit, retinere magistrum
Nec clausæ valuere fores se in tecta ferentem.
Ergo quid incassum vanis rationibus obstas?
Limite compingens illum, qui immensus & expers
Est legum, nil nonque potens, in quoque creato,
Se solo haud major. Sic sunt collegia vatum
Ædibus, & spatiis diducta ex ordine justis
Pro numero, & tantæ jam tecta capacia turbæ.

CAP. 13.

Elisha Dothani obsidetur à Syris, sed multò majoribus, cœlestis militiæ copiis munitus, Syros cœcitate perculsos in Samariam mediam deducit.

NEc modo miripotens, sed magnæ mentis, & omnis
Conscius arcani vates fuit, unde Syrorum
Consilia Isacidûm regi, insidiásq; retexit.
Ergo omnis vatem petit impetus, omnis in illum
Ira Syri, strictâq; locos indagine quærunt,
Diversetur ubi, & vatum collegia pascat
Demum Dothanis conclusum mœnibus arctâ
Obsidione tenent, & montes agmine denso
Prætexunt æquitum, ac falcatis curribus agros.
Crastina jam primo spargebat lumine terras
Aurora, & foribus famulus prodibat apertis;
Obstupuit visu, vatiq; ingente tumultu
Pro portis instare refert tot millia, quot non
Antea, proh, miseris sint visa Dothanis in oris,
Currus atque viros passim peditésque equitésque
Queis vix Isacidas omnes satis esse coactos,
Tantam aperire aciem, & densis volitare catervis.
Quo non attonitus vates, nec verba moratus,
Esse animo firmo trepidum jubet: auxilio nam
Esse sibi plures multo mage fortibus armis.
Ergo Deum vates rogat, ut mortalia nudans
Lumina,

Lumina, quâ densâ caligine mersa premuntur,
(Haud secus ac lachrymis quando suffunditur ortis,
Aut ubi prætento retinentur lumina velo)
Detegat haud visas puero sub nube catervas.
Cùm subitò, precibus vatis, decedere nubes
Humida luminibus, veluti rarescere cuncta
Cœpere, & nudi latè inclarescere visus,
Apparétque novis exercitus igneus armis,
Monte volans toto, claudens quasi mœnia turmâ,
Ætheriáq; acie; qualis cum fulgure crebro
Aura micat, flammæq; volant per inane coruscæ.
Præsidio hoc, fisus vates, è mœnibus ultrò
Prodiit, & verbis venientes præcipit hostes,
Sed cæcos, (adimente Deo sensúmque animúmque)
Confusosve animi, nec discrevisse valentes.
Haud secus, ac multas cum lumina tentat Iacchus
Obstruiturq; acies nimio visiva vapore,
Nulli forma sua est, varia atque ignota videntur
Omnia, nec certis apparent cognita signis.
Diversásq; monet sedes, alibique petendum
Quem quærant vatem; jubet ergò se duce certum
Carpere iter, mediámq; præit Shomronis in urbem,
Munitósq; locos, atque invia castra catervis.
Huc verò adductus visúmque animúmque reducit
Omnipotens, rebúsq; sua discrimina formæ,
(Quæ latuere prius misto confusa cerebro
Sub dubia specie, & tecta atque abscondita nube)
Séque vident mediis deprensos hostibus, omnem
Desperare fugam, nec posse evadere fatum.
Attonitíque Syri casum mœréntque stupéntque;
Sed probibet cædem vates, mensáq; refectos
Dimitti innocuos jubet ad sua, dono & amore
Devinctos, tanti memoresq; in secula facti.
Hæc est digna Deo victoria, dignáque vate, et
Regibus Isacidûm, quorum clementia ab isthoc
Manavit facto, populis celebrata propinquis.
Officio hoc victi paulùm repressa quierunt

Arma Syri, metuitque diis contendere bello :
Inducit sed longa dies oblivia, résque
Prosperæ, & adjunctis renovat sibi regibus (inter
Euphraten quotquot, Jordanis flumen & altum
Arva tenent) denis numero ter, térque decem plus
Procedunt castris, & cuncta examine complent ;
Haud aliter densæ primo quàm vere locustæ
(Aura Moti adspirat vires ubi) Samariámque
Isacii caput imperii, cinguntque premuntque
Obsidione, jugis firmantes claustra propinquis.
Sed nihil in vito sperandum numine, non vis
Aut numerus, non arma valent, ubi fata resistunt ;
Dispulit hunc tantum manus insperata tumultum.
Quin etiam similes, reparato milite, turmas
(Reddidit ut primum revolutus signifer annum)
Tertiâque arma Syri ; summissus ab æthere terror
Auribus & sonitus, (quasi cũcta propinqua quadrigis
Armorumque fremant strepitu obcludatq; receptum
Hostis ab aversis tergo circumfluus oris)
Cæde, fugâq; virûm fœda fuditque ruitque,
Obsessos solvitq; fame, (qualem neq; bello
Pertulit aut Mutina, aut Pœno pressante Saguntum
Nec Perusina fames æquet) quam copia rerum
Excepit subita, & pleno quasi dedita cornu
Quod vates, habitus vanus, prædixerat augur.

CAP. 14.

Elizæi corpus humatum, mortuum contactu vitæ reddit, Uzzias rex sacrum ministerium invadens, leprâ percutitur.

DEmum fata vocant vatem, qui stamina vitæ
Protrahere, atq; aliis abrupta reducere quivit.
Cujus relliquias tanto dignatus honore
Est post fata Deus, tumulo ut populare cadaver
Injectum vatis (trepidant dum forte ferentes

Festi-

Festinantq; metu, Moabum namq; arma propinqua.
Prædonésq; vident) cineres simul ossaq; sacra
Attigit, ex templo se se in sua crura, pedésque
Erigeret, magnusq; stupor spectantibus esset,
Ora ferens populo rediviva fugâq; reclamans,
Dum se se comitem jubet asportare receptam.
Olli fata diem cum jam clausura supremum
Instarent, rex Isacidûm tutore carere
Se, regnumq; dolens, invisit vatis amici
Hospitium, tenues dignatus inire penates,
Ultima dona petens, & verba novissima fari
Quem jubet adducto vates emittere nervo
(Eoos versus fines, ac regna Damasci
Hostica) & emissam comitatur voce sagittam;
En, ait, en vindex, superaq; à sede salutis
Nuncius, & lætum vobis bellantibus omen
In Syriam; ac reliquâ terram pulsare pharetrâ.
Qui bis, térq; satis reputans, non addidit ultrà:
Unde tulit trinum rex tantùm ex hoste triumphum,
Tantum verba valent vatis, sic numina firmant.
Pristina fata viam tamen invenere, morari
Nec vates, aut vota valent; cessere nepotes
Assyrio prædæ, majore sub hoste cadentes,
Captiviq; novos alibi fecere colonos.
Interea Uzzias, regum de stirpe Jehudæ,
Prosperiore fruens regno, rebusq; secundis
Elatus, non abstinuit fanoque sacrísque,
Jura sacerdotum rapiens, medióq; sacello
Thura adolere Deo voluit, nisi summus ab aris
Flamen abegisset, leprâ jam fronte notatum
Cælitus, & tanti superis ultoribus ausi.
Qua pudefacta nova, confusaq; lumina labe
Regia fugerunt lucem, tenebrasq; petivit
Secessus mœsti, fanoq; aulaq; remotus,
Donec suprema mors clauderet obdita nocte.
Quisquis es, exemplo sacrorum invasor ab isto
Disce metum; non cuiq; patent ea munia, nulli

Si

Si veterum, ſperet nemo hoc impune minorum
Queis venerãda magis ſacra ſuntq; in honore tenen-
Sed ſcio quid regerant; vates ſe ſe eſſe creatos (da
Apoc.1.6. *Atque Sacerdotes, omnes hoc munere Chriſtum*
Dignatum in terris, omnes feciſſe miniſtros.
Sed, quid, (quæſo viros) quoque reges impedit eſſe?
Par etenim jus eſt, ſi verbi in cortice ſenſus
Atq; ſuperficie eſt, nec fundo delitet imo.
Exod.19.6 *Sed latet immemores, de priſco dicta popello*
Planè eadem, gentémq; ſacram, regnumq; futuros
Eſſe ſacerdotum, cunctis præ gentibus orbis,
Non tamen Iſacidis fuit hinc in ſacra poteſtas
Omnibus, aut aras auſa eſt attingere turba,
Aut proceres, ſolos admittunt jura ſacratos.

CAP. 15.

Exercitus Aſſyrius mirâ clade divinitus immiſſâ tollitur, Ezechias peſte lethali ſublevatur, Solis regreſſu confirmatus.


Hinc ſubit Hizciiæ regnum moderataq; ſceptra,
Tutelâ munita Dei; nam maximus Asſhur
Arma movens ſancto generi, Solymæq; minatus,
Acciſas deflevit opes, exercitum & omnem
Deletum, occulta (ſuperis ultoribus) Ate.
Namq; per armatas peſtes graſſata cohortes
Una nocte tulit novies bis dena (ſupraque)
Millia, nil caſtris niſi denſa cadavera linquens.
Utq; palàm tantam detexit craſtina cladem
Orta dies, fregit ſævum, cæptumq; ſuperbi
Sancharibi, Aſſyrias monuítq; revertere Carras.
Hîc reus Hizciias voti, ſervanti hecatomben
Immolat, & ſuperis Solyma urbs indicit honores,
Libera ab hoſte. Nova ſed rex à peſte tenetur
Ulceris indomiti, quo ſævo toſta coquuntur
Membra malo, et nullam dant reſpirando quietem.
Hâc

Hâc sub peste gemens rex Esajamq; Deumq;
Sollicitat, multis onerans altaria donis;
Æthériâ dignetur ope, ægrotumq; levare
Omnipotens, meritorum haud immemorante suorum.
Audiit orantem Dominus, vatiq; priores
Retractare minas mortis, fatíq; propinqui
Imperat, & certam regi spondere salutem,
Ternáq; lustra novæ Parcas superaddere vitæ.
Hoc licet erectus dicto, tamen optat ab alto
Signum aliquod, certi testémq; notámq; futuri,
Annuit huic etiam voto Pater, atq; jugales
Phœbæos jussit retroactum sistere currum,
Perq; gradus denos, queis Sol declivis ad undas
Tenderat Hesperias, revocato ascendere passu.
Nec mora, continuò Sol cæptum sistere cursum
Cernitur, & versâ retroactum attollier umbrâ
Per totidem, queis ante polo decesserat horas
Occiduus, totumq; simul rapere agmine cœlum.
Proximus Hesperias propè jam spectaverat undas,
Atq; superfuerat stadii tantummodò quantum
Conficiant horæ spatio jam Solis anheli
Decurrentis equi: pressis cùm versa lupatis
Ora stupent, victamq; sibi rediisse laborem.
Ægrius ergo novos repetant per inania gressus,
Principio inviti, donec percussa flagello
(Aurigæ instantis, lentosq; travesq; cientis)
Terga darent sonitum, succusso horrore jubarum.
Tum verò celeres, currumq; ipsumq; ferentes
Corripuere viam, solitoq; calore per auras
Evolitant, donec spatium ad convexa remensus
Cœlorum, summo demum Sol sisteret axe.
Hæc lux bis valido terris incanduit æstu,
Bísq; diem retulit medium brevioribus umbris,
Et celebris toto terrarum inclaruit orbe.
Ipsa suas omnes Babylon hîc dicitur artes
Excussisse, novis cœlorum exterrita monstris,
Chaldaiq; senes se se ignorare fatentur

Jura

Jura poli, & leges rupto tunc fœdere versas:
Donec fama rei, Judæas quidq; per oras
Acciderat, causa demum mouere latentis
Atq; orare deos incognita numina Carris.
Interea medicam vates à numine doctus
Admovet Hizciia dextram, ficubusq; subactis
In massam, lethale aliàs deleniit ulcus,
(Pure, maloq; omni penitus sub carne latente
Extracto) & diram purgavit corpore pestem,
Tantâ ope, tam subita ratione salute reducta
Ipse perendinus ut rex in sacra templa Sionis
(Vota Deo faciens) sanusq; ascenderet aras.

META-



METAMORPHOSEON LIBER SEXTUS.

CAP. I.

Quatuor pueri ex pulte & leguminibus nudis, habitiores fiunt, quam deliciis mensæ regales.

SED nec cura Deum, tanti nec ubiq; favores
Isacidûm flexere animos, vel in officio plus
Continuere; non tanto ex hoste recepti
Assyriumq; manu, didicerunt numen honore
Prosequi, & obsequio justo: rediere minores
Neglectum ad veri, peregrinaq; sacra colenda
Atque Deos, mores cum relligione prementes.
Ergò deposita Deus hostibus undiq; cura
Atq; patrocinio populum permisit, et omni
Clade exhauriri, suprema excidia donec
Urbis, in ignotas sparsissent undiq; gentes.
(Hic finis regum Solymæ, tantiq; sub Ortu
Imperii, populis, fanoq;, Deoq; superbi
Ornamento Asiæ: quod nunc cinis atq; favilla est,
Nec nisi mons lapidum squallore obductus & ævo.)
Atque ita disjecti, Dominos tolerare superbos
Atque novas leges, peregrinaq; sacra coacti.

V Quatuor

Quattuor abducto sed de grege gentis Apellæ
Captivísq; sui moris, ritúsque tenaces,
Ac legis patriæ, victu abstinuere profano,
Et pro deliciis mensæ regalis (in aulam
Nam victoris heri, magníque palatia regis
Transcripti quidam generis regalis Judæ,
Indolis, ac vultus si quis melioris & aptus
Alloquio regis, procerum convictibus, aulæ
Atque ministeriis) olera atque legumina pasti,
Proque mero, gelidæ gustantes pocula puræ,
Ora, cutémq; nitent cunctis præ æqualibus, omni
Nutritis curâ, mensæ regalis & offis.
Tantus ab ætheriis vigor est, virtúsque statutis
Atque favore poli, placito sine cujus & almo
Numine, vana Ceres cuncta est, & Massicus humor;
Quicquid & allubuit, vires hoc accipit almas
A Patre, & enutrit geniali munere fœtum.
Ille (velit) lapidum fragmenta aut ramina ferri,
Arboreâ pro prole potest, pinguíque farinâ
Subjicere, in mensam facere & mortalibus almam.
Unde fuit primos arbos alitura parentes?
(Monstrasset nisi sponte Deus, viréisque dedisset:)
Inque vicem segetes quod post subiere, caróque,
A Deo erat: cujus si numine facta fuissent
Quæquam alia, & nostris voluisset ea usibus esse;
Obsequium haud dubiè placito testatâ fuissent
Artificis, Dominique sui non vana voluntas.
Ecquod enim nostræ propius carnive, cutive,
Aut magis assimile est? olus, an flos, farfarus an far,
Altile ut alterutrum sit, vel magis usibus aptum.
Humanis, facile in nostram transire figuram?
Neutrum namque refert carnem, neutrúmq; cruorem,
Nî vi Naturæ (cujus Deus author & altor)
Mutetur penitus, genus & coalescat in unum.
Hinc ros ætheriis, patribus demissus, ab oris
Cesserat in victum, Cerere & cessante Lyæo,
Perque quater denos aluit non secius annos.
Hinc & Ioanni (jejunæ tesqua Jehudæ

Numinis

Numinis affatu, peragenti in eoq; locanti
Omne voluptatis) fuerant pro pane locustæ.
Quisquis & ætheriis vacat, illi alimonia quæque
Par erit, haud ullis deerunt in pabula vires.

CAP. 2.

Ignis fornacis Babylonicæ tres pueros injectos adurere nequit.

(phis,
JAm Nebuchadnezzar, (crebris ex hoste trium-
Atque gravis spoliis, totóq; Oriente subacto)
Vota Deûm patriis solvebat redditus oris;
Erigit ingentem Duraâ in valle colossum
Ex auro fusum solido, qui vertice senos
Exuperet decies cubitos, costísque humerísque
Exæquet senos latus: per cætera membra
Apta sequebatur proportio, et ordo; stupori
Omnibus aëria ex humili spectantibus ora.
Dedicat hanc plenâ procerum, populíq; coronâ,
Et celebri cætu, præcone per agmina dante
Edictum regis, turbâmq; hinc inde monente
Ad sonitum signûmq; tubæ citharæque lyræque
Procidat, & statuam veneretur quisque sacratam,
Ni velit ardentem se dare cruore caminum.
Soli de numero sprevere pericula tantò
Regalésq; minas pueri tres gentis Iüdæ,
Prætulerántq; metum supremi numinis almum.
Quocirca manibus rapti post terga revinctis,
Injectíq; cavæ subeunt penetralia flammæ.
Sed non ulla capit pueros (mirabile dictu)
Aut noxa, aut labes, non ipse notatur amictus
Ignibus, immites cohibent incendia vires,
Restringente Deo, non restinguente (manebant
Quippe suæ flammis vires, aliâs neque flammis
Nec quidquam miri passis) cûi, sive relaxet,
Sive premat, paret virtus quæcunq; creata.
Hinc liquidum retinet se, nec dilabitur unda
Præcipiente Deo, rubri cùm littora ponti

Intraret populus Pharius egressus ab oris)
Flammáq; non urit, suspensáq; in æthere tellus
Non ruit, alitúrq; mari, nec mergitur unquam,
Totáq; supremis paret Natura Creantis
Legibus, & nullas adit sine numine vires.
Quæ rediere, simul fontes ac flamma relucta
Attigit, injectæ sensit discrimina massæ,
Continuóq; sibi jam reddita devorat hostes,
Insontum, et vivos primis afflatibus hausit.
Vincitur hîc animus regis, vincuntur & hostes
Agnoscúntq; Deum: mores sed ad usq; recurrit
Impietas notos, superúmq; oblita superbit.

CAP. 3.

Nebuchodonozari in Deum superbienti mens adimitur, & ad ferarum ingenium, sortemque detrusus, non nisi post septennalem vecordiam sibi redditur.

JAm Nebuchadnezzar Babylonis turribus altis
Regna sua, et latos ultra sua lumina fines
Prospectans, animóq; suo majora revolvens,
Mirabatur opes nimas, non ipsa moratus
Numina, nec justum superis ascripsit honorem.
Cùm Pater ætherius fastum indignatus, ab alto
Emisit vocem regi fera fata ferentem:
Non equidem, ut pereat penitus, vel fulmine ad Or-
Deturbatus eat (non in mortalia sævit (cum
Sic capita, aut tantâ prorumpit Jupiter irâ)
Mulcta modò, et tantis imposta ejectio regnis,
Exturbato animi, donec Sol compleat annum
Septenum, discátq; Deum metuisse superbus.
Haud mora, continuò spoliatus mente tyrannus
Sensibus exuitur sanis, & pectora bruta
Accipit, atq; feris animoq; locoq; coactus,
Cœtibus exactusq; hominum, compascitur herbâ,
Æthere sub nudo stabulans, & rore madescens,

Terga, latusq; patet nimbis, Jovis alitis æquans
Canitie plumas, atque uncis unguibus ungues,
Tanta per indictos incuria corporis annos,
Atq; capillorum est excretio, vertice semper
Incompto, et crassas exudanti cute sordes.
Donec completo præfixi temporis orbe
Respiciens cœlos, numénq; agnoscere discens
Redditus est sibi rex, mentemq; animumq; priorem
Accepit, se seq; stupens, insomnia credit
Quicquid inexactis septem fera pertulit annis.
Haud secus, ac si quem somno vinoq; sepultum
Ædibus elatum longinqua in valle recondant
Exponant palàm, subitò experrectus & arcti
Nescius, addubitat vigiletne an somniet usque.
Qualiter aut pastor, seclum qui pæne sopore
Obrutas, evigilans stupuit penetralia saxi
Monte cavo, speciemq; novam, rerumq; locorumque;
Aut Laërtiades Phæacum advectus ab oris
Nave volante sua sponte, atque in littore curvo
Expositus, patriæ non norat limina terræ:
Omnia, sed peregrina putans, circumspicit, atque
Inquirit. Sensim sic rex oblivia longa
Excutit, & memori miratur pristina mente,
Agnoscitq; suos; à queis in regna reductus
Miraclo est cunctis, & summo rursus honore.

CAP. 4.

Darii edicto Daniel speluncæ leonum inclusus, incolumis evasit, ab Abbacuko in Chaldæam per auras translato pascitur.

REgibus hinc metuisse Deum, rebusq; secundis
Non nimis efferri, data erant documenta, satisq;
Exempli, in tanto regnis & mente tyranno
Dejecto miserè: tamen huic successor, eosdem
Amplexus mores, divûmq opprobria sectans
Medus, & ignarus cujus bona tanta teneret
Munere, divinos fieri sibi sanxit honores.

Ne qua alii (sibi quàm) concepta hominíve Deóve
Vota forent, denis ter, per sua regna diebus,
(Donec Luna suum compleret & expleat orbem.)
Ni velit ingluviem quisquam satiare leonum,
Dentibus objectus sævis, conclusus & antro.
Solus Iudaicæ stirpis, non scita moratus
Impia, more suo Daniel, bis quaque vocavit
Luce Deum patrium, Solymæ conversus ad ædem
Audax, & patula professus vota fenestra.
Hic delator adit regem, regíque remonstrat
Contemptum legum, sævis & singula verbis
Aggravat, ac pœnam sancitam flagitat addi,
Permittíq; reum legi. Ast miseratus iniquum
Circumventi odiis casum rex, jussa refigi
Aut differri optans, quærit causásque morásque
Donec ab infestis actoribus (usq; vetustum
Persarum morem, legésq; crepantibus, omnis
Ignaras vicis atq; moræ) devictus, habere
Insontem, et legi invitus permitteret atræ.
Ergo miser rapitur manibus post terga revinctis
Objiciturq; feris, longa fame alacribus, ore
Stantibus & patulo (jentari quippe solebant
Assiduè, et carne in spectacula talia pasci)
Cùm mirata virum (dictu mirabile) circum
Turba fera assistet (tanta est reverentia frontis
Numinis & virtus quæ vim rabiémq; coercet)
Ad blandita, ipsas temerat nec dente lacernas.
Atque ita per lucem vigiles, noctémq; sequentem
Obliti famis atque gulæ, jejunia visu
Pascunt, nec querulis lassant rugitibus auras.
Intereà insomnem rex per jejunia noctem
Ducebat, famuloq; super mærebat adempto,
Cunctaq; cùm mensæ fugit tùm gaudia Musæ.
Qui simul ac primæ sensit discrimina lucis
Proripuit thalamo se vix stipantibus ullis.
Invisitq; specum rex, quantâ pérque dolorem
Voce potest, mœsto Danielem nomine clamat;
Tene tuus potis est Deus omnipoténsque vidénsque

Eruere

Eruere immani servatum fauce leonum.
Dixit, & obticuit; Daniel cùm talia reddit
E resonante specu, Deus æthere misit ab alto
(O mihi rex votis vita venerande perennis)
Militiæ quendam superæ, qui sæva ferarum
Pectora, et immanes repressit numine rictus.
Attonitus rex hîc inopino vocis amatæ
Gaudio, ab adstanti turbâ jubet, objice ruptâ
Educi specubus, visumq; (haud prima moratus
Officia) amplexu rapit & cervicibus haret.
Accitisq; viri mox delatoribus, omni
Cum domo, in eductis jussit sortémque locumque
Conjici, & artificum sanciri sanguine legem.
Discat ut incauto, nisi rectum, obtrudere regi
Posteritas nihil, aut sacrum corrumpere pectus
Consilio, in fraudem cujusquam, aut damna parato.
Quos (simul atq; feris ostensa est præda) repente
Corripiunt, saltu supráq; repagula facto
Dilaniant, ipsisq; vorant simul ossibus artus.
Quo magis exemplo rex confirmatus, ad astra
Attollens simul ore manus, Danielis adorat
Numen, & æternos illi decernit honores
Quà sua regna patent Orientem versus et Austrum
Hunc solum jubet esse Deum, votisq; vocandum
Numen, & æternâ regnantem in secula famâ.
Additur hîc aliud mirique novique; leonum
Dum Daniel medius sedet, & jejunia longa
Sustinet, è patriis popularem finibus usque
Pastorem & vatem, (messori prandia dum fert
Et juri intritam contemperat utre farinam)
Translatum ætherias subita virtute per auras,
Chaldæa in fines, spelæi & vertice fixum,
Succurrisse novis inopi in discrimine monstris.

CAP. 5.

Jonas legationem divinam ad Ninivitas defugiens exorta tempestate in mare ejectus, à ceto absorbetur, & post triduum in littore expositus.

positus, Ninivitis excidium denunciat, cujus sui vaticinii exitum dum expectat, à cucurbitâ repentè enata, postq; diem unum exarescente obumbratur.

Tu quoque carminibus Ninive celebrabere nostris
Ingentes propè passa vices; nisi de genitrice
Sentináq; mali (quod rerum copia fecit)
In matrem mutata probi, atq; exemplar honesti.
Viderat Assyriis Deus auctam in finibus urbem,
Affluitare opibus, tectisq; armisq; superbam,
Totq; procul patris onerantem templa triumphis,
Numinibusq; palàm fictis transcribere rerum
Gloriam, & in vitium totis se dedere votis,
Securam, ignarámq; Dei. Suprema minatur
Ergo Deus, (verbis certus prius omnia missis
Tentare) et fatum jubet expectare propinquum.
Illud Amittaïdæ delegat munus: at ille
Nuncia defugiens melegrata, et plena pericli,
Mutat iter, versóq; petit clam littora cursu;
Subducens jussis se (si queat) oráq; vitans
Numinis, & latebras Myrtoum trans mare quærens.
Sed fugiat quisquamne Deum? cui pontus & æther
Servit, & Æoliis quodcunq; reconditur antris.
Quid moror, immissa miscentur cuncta procella.
Succutiturq; ratis, ventoq; et fluctibus impar
Mergitur, ejectâ relevent nisi transtra saburrâ:
Nec valet hoc; aplustra gravant, certatur & illa
Detrahere, abjectis malus gemit armamentis.
Omnia sed frustra, tanto in discrimine rerum
Quisque suum vocitat numen, Jonámq; sopore
Excitat, & dictis securo exposcit amaris,
Quid tibi vis deses? quid somnio? suscitet instans
Te metus, & circum vaga certa mortis imago.
Hinc initæ sortes, & causa inquiritur alta
Numinis offensi, jaciuntur nomina in urnam,
Signáque, nec miseris Deus est poscentibus absens,
Designátq; reum Jonam, dans sorte notatum.
Hic ita deprensum circumstat navita Jonam,

Ex-

Expoſcitq; viri quod ſit genus; unde locorum;
Ecquid in offenſos homineſve deoſve patrarit
Flagitii aut ſceleris; mortali injurius, an ſons
Sacrilegúſq; Deo: queis pectore mæſtus ab alto
Emittens vocem, ſontemq; reúmq; fatetur
In ſuperos, læſum mortali è ſemine nullum.
Quare ſe, (ſuperis devota piacula) ſolum
Projiciant pellago, placatum Numinis iras,
Unum pro multis detur caput (inquit;) & ultro
Dat vinclis palmas, mortem expectatq; futuram.
Quæ dum non refugo vati fera fata parantur,
Ecce per horriſonos apparet bellua fluctus,
(Quanta nec Hippolitum turbaverat, Andromedam-
Terruit aſpectu) pelagíque tumultibus addit (ve
Corpore prægrandi, vaſtoſq; expandit biatus.
Horreſcunt viſu nautæ, metuuntq; carinæ à
Fauce cavâ, properantq; feram placare furentem
Præcipiti Jonâ; qui fati conſcius ultrò
Obſequitur, mortémq; ſimul ſubit atq; ſepulchrum,
Et jam jamq; cadens, fluctu rictuq; voratur
Belluæ, & in vaſtum dimittur ore profundum.
Merſus ubi tenebris, & cæco carcere, numen
Invocat, è mediis ſuſpirat & ilibus Orcæ.
Sive maris, ſeu ſe piſcis reputabat in alvo,
Infernîſve locis, & Ditis regna ſubiſſe,
Supplicat, horrendâ ſe educere vellet abyſſo.
Hîc monſtri ſub ventre latet, nec veſcitur aura
Oceanum donec ſurgens Aurora relinquat
Tertia, et ingratas patitur ſub gurgite noctes.
Unde Dei inſtinctu demum vivuſque valenſque
Redditur (ætherias ceto revomente ſub auras
Littore in algoſo) prius & qua ſolverat actâ.
Mirandū eſt hoc morte magis, Dominiq; ſepulchro,
(Viribus ipſe ſuis niſi ſe retuliſſet in auras)
Ergo fidem ſacris ne detrahat amplius actis,
Neve reſurgentem ludat Judæus Iēſum:
Ipſe ſuis majora fovet, magis ardua ſcriptis,
Quæq; fidem ſuperant hominum, et mortalia fata.

Sic Syria in nudo projectus littore, rursus
Mittitur ad magnam (Nino cui nomen ab) urbem,
Nuncius excidii, certò instantísq; ruinæ
Ante novum Phœbe rediens quam compleat orbem.
Urbs fuit immenso spatii protensa, viator
Hospitio quam vix peragratam tertio obiret
Ultimam, & ingenti murorum excederet orbe.
Vates ut spatii confecit tertium, et intra
Mœnia lucis iter; tempus mandata referre,
Commissumq; sibi censens, ut quisque ferebat se
Obvium, in adversa hæc obstantibus ingerit ora.
EXCIDIUM HUIC URBI (superû ne tenuite dicta
Atq; minas) INSTAT, prius et quam cornua Phœbe
Altera compleris, (spatii hoc dant numina sonti.)
Huic vilis quamvis habitus, nec cognita jura
Atque fides, multis contemptum induceret oris;
Haud pauci tamen arripiunt, & dicta morantur.
Regis & Assyrii defertur mœstus ad aures
Nuncius, ac totum concussit fama senatum.
Scilicet haud temerè esse, ausurumve misellum
Talia, vel bruti ficturum fulmina fati,
Nec vanam præferre fidem, quod pauper & hospes
Afferat, ignota nec non quid veste latere.
Hæc rex, & quorum melior sententia menti;
Ergo jubet, junctis placarent numina votis,
Sollicitêntq; polos, & per jejunia stricta
Affligant se se, donec miseratio divos
Accipiat, tantas spectantes æthere pœnas
Sponte sua assumptas, & sera piacula quamvis.
(Ecquis enim norit, quidnam clementia possit?)
Haud secus ac jussi faciunt, cunctisq; per urbem
Abstentum victu, sexus est omnis & ævi,
Ablactata tribus infantia ut ipsa diebus
Vagiret, vacua et stans ad præsepia taurus
Mugitu attristet mentes, & conscia pravi
Pectora, in immeritis cernentum crimina plecti.
Accepitq; satis Deus, edita fata retractans.
Quæ dum vaticinans expectaret rata Jonas

Urbe procul, casuláque sibi fervente sub æstu
Extructâ hæreret, sed nudâ sub Jove tecto,
Emicuit subitâ foliis prægrandibus umbrâ
Arbustum, èque solo clàm nocte efflor uit unâ
Arbor erat, ricini, speciéve cucurbitæ, opacans
Exiguam ramis casulam, quam, (noctis ut umbra
Cesserat) obstupuit vates, quo numine, quove
Eductam casu, scenámqae sub æthere factam;
Gaudia sed nimium brevia, et fallacia semper,
Vix lucem, clausitque diem, cum stirpibus hærens
Præcocis arbusti spes (sive creaverit illum
Ipse opifex rerum, seu terris ante latentem
Extulerit) subito frondentem perculit ictu
Ante diem, et primo quam lux rediisset Eöo,
Luxuriémq; vagam ramorum, et brachia læta,
Afflans, mox foliis arentibus abstulit umbram,
Nudatámque casam radiis, vatémque reliquit
Phœbæis, omnem admittens per culmina Solem.
Cûi miser expositus vates mortem optat, et orat,
Tantus adurebat fervor, magis atque calore
Cura suæ fidei cruciabat, & irrita fata,
Quam nimia, (sed prævisa sibi) clementia divûm
Reddiderat vanam, populo irrisúmque profano.
Occulit hinc se se, proferre pudebat & ora
Jam pudefacta nimis, falsique revicta futuris.
Quem Deus ob vanas objurgat ab æthere curas,
Irámque in superos, ægrâ quam mente fovebat.
Siccine vesano juvat indulgere dolori?
Nec tantæ miseret cladísque urbísque? tot in sunt
Cui capita innocua et rerum discriminis omnis
Nescia, nec dextræ quidnam, intersitque sinistræ,
Hósne perire velis? cadat indeflectáque tanta
Turba virûmque gregúmque, et rerum gloria tanta?
Et magis indignans ricini de cladæ caducæ
(Quæ tibi nec precio stetit, impensáve laboris,
Una cûi vitam nox contulit, altera rursus
Abstulit) in nostros insurgas crimine mores
Et trahis in crimen quæ dat clementia divûm.

CAP.

CAP. 6.

Tobias oculis captus, filium Ninive, Rageſam uſque Medorum mittit, cui Azarias Angelus ſpecie humana ſe comitem dans, non modò contra anguis fluviatilis, verum etiam mali genii ſponſis Saræ infeſti impetum, et inſultus tutatur.

JAmpridem Aſſyrias deducta colonia in oras
Iſacidûm captiva ſedet, Niniq; per urbes
Diſperſa, eſt populis opprobria facta profanis.
Omnigeniſq; malis obnoxia (vulnera, cædes
Sub victore ferens Domino, et ſine funere mortes)
Mærebat, tutore carens, infletáq; turba.
Sed Tobias patriaq; ſuæ, gentiſq; miſertus,
Qua potuit (fuerat nec nulla potentia capto
Rege ſub Aſſyrio, cui regni provida, et aulæ
Cura fuit commiſſa, audet dare membra ſepulchro
Cæſorum, quin flere etiam. Defertur ad aures
Regis, ut everſæ patriæ, gentiſque rebellis
Protector tacitus, regni adverſarius actis,
Atq; bono ; fiſco unde bona, atq; addicitur ipſe
Supplicio. cujus quamvis jam jam metus inſtans
Suadeat effugium : cæſis tamen, ante, ſupremum
Officium, et lachrymas & reddere juſta volebat,
Nec niſi perfectis ſedes mutare piaclis.
Atq; ita per multos Ninive procul exulat annos.
Donec mutatis rebus, regniq; miniſtris
Jam ſub rege novo, revocatus, perſtat iiſdem
Sedulus officiis, patriæ non immemor almæ.
Nec tam feſta tenent ſolemnia, jamque parata
Menſa virum, quantum in triviis ſine veſte jacentum
Atque cibo, cura ; emittit qui ad fercula menſæ
Invitent, vicoſque omnes rimentur & urbem
Gratia egenorum. qui cum populare cadaver
Projectum in triviis, multoq; cruore, referrent ;

Con-

Continuò impastus surgens, mensisque relictis
Evolat, atq; humeris sublatum abducit, amicam
Donec nocturno tumulo daret hora quietem.
Tum verò fletúmq; effert, terrâq; recondit;
Unde domum rediens, non intra tecta recepit,
Atria sed se se, somno (Jove subter aperto)
Lumina declinans infra suggrundia tecti;
Namque incestatos à funere, labe piari
Lex jubet, & sacris ad tempus & ædibus arcet.
Hîc dum defessos solito premit arctior artus
Somnus, & haud clausis (oculis prægrādibus ut fit)
Palpebris stertit; pendens in parjete hirundo
Antibus & tecti, perfudit stercore visus
Fervido, et inductâ violavit lumina nube,
Pervadente aciem pupillæ albugine densâ,
Et penitus tetris oculum inficiente tenebris.
Nec prius advertit, noctísq; incommoda sensit
Postera quam primâ collustrans lampade terras
Aurora, et strepitus increbrescentior urbe,
Exciret stratis, somno, non nocte fugatâ,
Attonito, tantíq; oculis quæ causa rigoris
Miranti; digito diducit, & affricat ergò,
Appositâq; graves tentat lenire salivâ:
Sed cùm suffusam nequeat dispellere nubem
Hæret in ambiguo, dubius noctémne, diémne
Cernat, et apprenso firmat vestigia tecto,
Limina disquirens, suáq; infortunia mærens.
Hîc hæret cæcus, plures & inutilis annos,
Nec medicam persensit opem, licet undique nummis
Quæsitā, et precibus: sed nulla unguenta nec herba
Pæonia valuere oculis depellere noctem.
Quem Pater ætherius cœlo miseratus ab alto
Mærentem, casúmq; pii; famulum sibi fidum
Militiæq; suæ (Raphaël cûi nomen ab arte
Est medicâ) superæ magnum Podalirion aulæ,
Mittit ad Assyrias, in Nini mœnia terras,
Extorrémq; jubet, spoliatum lumine Apellam
Quærere, et amissum mærenti reddere visum.

Mandati est hæc summa, senis sanatio digni
Munereq; & cura, superæq; adnixibus artis.
Audiit, & dicto Raphaël simul extulit alas
Præcipitique volat nixu, nubésq; penetrat,
Assyriámq; citus Nini super adstitit urbem.
Haud aliter cœlo quam labens stella sereno,
Aut quæ per tacitam deludit imago quietem.
Protinus humanos assumit nuncius artus
Ananiæ de stirpe pii, nec lumine casso
Ignoti, gressusq; viri mentitur, & ora.
Jam Tobias rerum cunctarum, ut lucis, egenus,
Quicquid erat quondā positorum in fœnore nummū,
Hauserat in miseræ sumptus, usumq; senectæ:
Sola Ragesano restabant credita civi
Æra, procul Medis qui dives agebat in oris.
Unicum huic natum mittit Pater, arma, viæque
Conquirens comitem juveni, gnarumq; locorum.
Obtulit huic superā sese de sede minister
Aliger, Azaria planè assimilatus in ora,
Et pactus mercede, viam simul arripit, usque
Ecbatanen, & longè distantia rura Ragesæ.
Ventum erat ad rapidum contorti Tigridos amnē,
Jam vergente die, serámq; incœnis uterque
Carpebat, cannas inter juncosq; quietem.
Cùm subito à ripa prorumpens fluminis anguis
Seu piscis (squammis etenim pinnísq; nitebat)
Insiluit juveni: sed non vigilémq; fefellit
Azariam, qui voce ciens jubet occupet anguem.
Excitus ille, quibus valuit, se protegit armis,
Et monstrum obtruncat, cæsumq; remittere in undas
Conantem, vetuit comes: ast discindere ferro
Visceráq; exsectis jubet asservarier extis.
Obsequitur jusso juvenis, cor, fêlque, nitente
Cum jecore exscindens siccandum, cœna paratur,
De reliquo, innocuas torréntq; ex carnibus offas.
Primus siccati jecoris, cordísq; redacti
In cineres usus fuerat, contra horrida Averni
Numina, tartareas pestes, geniosque malignos,

Si qua premant mœstos hominū fortasse penates.
Hæc Raguelis erat sors, juncti sanguinis; illi
Pestis Avernalis (generis fata horrida portans)
Hærebat, lætos funestans clade hymenæos.
Filius huic fuerat nullus, prolésve virilis
Accepturus opes, patriūmque in nomen iturus;
Filia sola domum servabat mœsta, jugales
Multoties experta faces, afflatáq; lævo
Lumine, cassa toro; thalamum præceperat usque
Mors inopina, novum tollens clam peste maritum.
Inde domum infaustam, formámq; odere puellæ
Funestâ cum dote, proci: succederet, oris
Donec ab Assyriis Tobias novus hospes, & ultrò
Conjugii spretam acciperet vir conditionem.
Viribus hic fretus superûm, sacrísq; litatis
Munitus, tristes adolet ceu thure penates,
Et thalamum, imposito prunis de pulvere (piscis
Quem cordi atque hepati siccatis extudit illi
Cœlo opifer missus) simul ædibus effugat Aten;
Carpit & innocui juvenis rata gaudia lecti.

CAP. 7.

Tobias visui redditur; ubi tam amuleti quam collyrii ratio discutitur.

HOc opere effecto, atque ære ex Babaële recepto
Cive Ragesano, Tobias cum conjuge Sarra
Ad patriam remeat, fido comitante ministro
Azariæ specie, quibus occurrens pater ipso in
Limine, sollicitum amplexu vix explet amorem.
Post cum patre diem vario sermone trahentes
Déque viâ, nuptâque novâ, nummísq; receptis,
Filius allatam narrat Patri adesse medelam
Luminibus cæcis, sibi quam monstraverat author
Azarias, multo rerum spectatus ab usu,
Cujus & in nummis operámq; fidémq; receptis,
Tuteláq; viæ per tanta pericula factæ

Com-

Commemorat, primi superantem præmia pacti.
Ergo piscini promens collyria fellis
Oblinit oranti juvenis; cùm squamma repente
Alba cadens, nitidum pupillæ detegit orbem;
Inducítque diem subitò, quo cuncta nitescunt
Undique, primigeno nuper quasi sparsa colore,
Miratúrque novo senior quasi redditus orbi.
Cùm simul Azarias tenues disparet in auras
Munere defunctus (dederant quod jussa Tonantis)
Atque ministerio, linquens Tobiámque domumque
Attonitam, et raris hiscentem in vota loquelis.
Haud equidem credo quod vis innata vapori
Tanta sit, aut mentes attingi corpore possint,
Sensibilisve premi molis virtute fugatæ:
Numinis at quoquo se se præsentia signo
Prodere vult, illi parent quæcunque creata,
Seu mentes umbræque fient, seu corpora et artus.
Sic Dominus mutum (genio retinente maligno
Vocis iter, linguæq; moras, aurísq; meatus)
Quem verbo, vel voce suâ removere valebat,
Sanavit sputo, linguæ solvítq; repagla.
Eque luto, quod miscuerat labente salivâ
Conficiens oculis coràm collyria cæcis,
Irritaque in speciem, clàm virtus præstitit alta,
Effectumque dedit, nec vis erat unguinis ulla.
Nec tamen his signis illudit, inanibus utens;
Attrahit at nostros, magis ad spectacula sensus,
Atque monet facti. Sic verbis utitur (ad quæ
Sponte sua, lubituque venit) quò facta notemus
Attenti, neu sponte suâ, vel fortè putantes
Enata, haud justum auctori referamus honorem.

Hactenus Metamorphosis, quæ in S. Veteris instrumenti scriptis extat.

Errata sic corrige.

E *Pist. ad D.* Hum. *Brig.* CIↃDCL. *Epist. ad Lect.* lin. 16 *adyto.*page 5. lin. 32.*sua* 12.28.*sprevisse.*17.21. *animantum.*23.4. *ligua.* 25.35.*læta.* 29.32.*citum.* 32.7.*infernis.*31. *rubuerunt.*33.4.*preciosula.*Et *post l.* 28. *lege* [*Neve putes tristes Cinyreiæ arsisse furores*] 35.31. *obstupuit.*38.15. *patruele.* 40. 33.*sit.*41.13. *revisere.*43.22.*sua.* 46. 33.*subiturum.* Et 34. *Compedibusq; Miser per.* 47.27. *ceu.* 50. 9. *Ægyptum.* 51.2. *numine.*52.2.*regis* Et 18 *lege;mandata,fidemq;supernam.*Et 20. *virgam.*54.15.*Consilii.*55.13.*baculum. et* 18 *simile.*58.10. *immissu.et* 21. *prosternunt.*59.36.*alas.*60.30 *conderet.* 61. 34 *spicula* 63. 15.*inultos.*65.18.*Occiduum;Rediens quod. et* 24. *Aëriosq;* 66.4.*devota. et* 13 *Caderet.*67.15 *absorptos.* 68.17. *assidua.*69.1. *tabe. et* 17. *ullam.*70. 7.*luxu* 71.5. *plus quam. et* 18 *percussum. et* 23.*cadentum. et* 32.*veluti. et ult.Arabum.*72. 24. *dele ac.*73.14. *appositas.*75.23.*gemmæ.* 79.8. *exanimansq; necansq;* 81.24.*hæc.*83.21. *fati.* 86.16. *circuitu.* 87. 27. *relliquiæ.*96 *post l.* 24. *lege;* [*quem simulimplevit numerum, et sibi tempora certa.*]97.10.*dedere.*97.29.*norit.*98.19. *oras.* 99. 16. *griphi.*100.*ult ictu.*102.8.*Capillis.*104. 3. *ipsi. et* 26. *perfectis.* 105.27. *quæ.* 107. 7.*male grata; item futuræ. et* 14.*concessa. et* 33. *coalescet.* 108.25.*ab.et* 35.*at. pro et.* 109.11. *celsisq;* 115. 27.*abjectus.*32.*Amnon.*116. 35.*germano.* 120. 6. *sedis.* 121. 5. *opprobrio.*122.23.*subitum.* 24. *inassuetis. et* 34. *functo.* 123. 14.*magicis.* 125.4.Ex *oleo.* 127.2.*tenuem.*128.*ult. optatos.*132. 29.*sua.*137.7.*adq;* 138.4. *farinâ.et* 21. *abunde.* 140. 16.*ferre.* 141.5 *numerosa quidem,non rebus onusta.et* 19.*egentem.* 142. 22. *equitum.*143.16.*multus. et* 24.*adducti..et* 29.*posse.*144.8 *Notis* 18.*occludatq;*145.6.*receptum.*147.14.*Iuerat.*23.*victumq;et* 24. *repetunt.*149.*Inscriptio Corrigenda per totum,sic*[Lib.*VI*]150. 21.*alitura.*151.22.*sedare.* 152. 3. *alluitusq; et* 6. *relicta. et* 22. *nimitis.* 153.13. *exponantq;*——— *acti. et* 16.*obtutus. et* 33 *est.*154.25.*assistit.*156.11.*partis.et* 21.*trans Carpathium.*157. 8. *pelago.et* 21.*demittitur.*158.12. *temnite.*159.11.*seps.et* 22. *ast prævisa.et* 32.*indeflætaq; et* 38 Culpam.163.24.*Gabaele.*



